


Constat 5 gl 4 d Witibergæ.
Anno 67.

IN HOC L

T I

A R G

T A S E

T I O N

C A

PHIL

Acceß

Ex libris Thomæ Roti
Anno 94. Elbingæ.

IN HOC LIBELLO CONTINENTVR

ARGVMENTA SEV DISPOSITIONES RHETORICAE IN ECLOGAS VIRGILII

AVTORE

PHILIP. MELANTH.

ITEM,

Accesserunt Paraphrases, Ecphrases, & succinctæ quæstiones in easdem Eclogas

AVTORE

M. STEPHANO RICCIO.

ITEM,

Adiecta sunt in fine MISCELLANEA eiusdem RICCII, in quibus de uarijs rebus tractatur.

Anno

M. D. LXV.

M. Petrus Himmelreich



JOANNES STIgelius ad Lectorem.

1561.

ARtibus ingenuis teneram formare iuuentam
Qui studet, atq; animos adiuuat arte rudes,
Et quid de patriæ minus ille salute meretur,
Quam populos legum qui ratione regit?
Præparat ingenium rerum præceptor ad usus,
Quod sine doctrina quid nisi nomen habet?
Et sunt qui rigido suspendant omnia naso,
Quæ non peruigilem tota Cleanthen olent,
Desinite ô ronchi, non hæc sine cortice nanti,
Sed pueris author qualiacunq; dedit.
Qualiacunq; dedit, tamen hoc amiserat idem,
Effugere Autolici non potuere manus.
Quæ si fortè alibi uulgata uidebis ἀδήλως,
Surrepta authori noueris esse suo,
Nunc postliminio ceu reddita publicat idem,
Optat & ut nunquam deteriora legas.







ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOHANNI FRIDERICO III. Duci Saxoniæ, Landgrauio Thuringiæ, Marggrauio Misniæ, Principi suo & Domino clementissimo,

STEPHANVS RICCIVS S. P. D.



RES SVNT RATIOnes, quibus doctrina de uita & moribus tradi solet, una ἀποδεικτικὴ, altera νομικὴ, tertia παραδειγματικὴ. Harum prima acumen demonstrationũ, Secunda honestatem præceptorum, tertia exemplorum uim desiderat. Nam hoc necesse est, ut uirtutis studium aut firma probatione, aut legis autoritate, aut exemplo in animis hominum exci-

tetur. Qui uerò his tribus nõ mo-
uetur, sed pronus sequitur, quo
traxit cæca libido, hic malus ac o-
dio dignus ducatur, & idem accer
set pœnas sibi tandem & tristia
damna, ut Hesiodus uerissimè di-
xit. Vt igitur ad primam ratio-
nem pertinent libri Aristotelis
de moribus accuratè scripti, sic ad
alteram & tertiam referuntur Po
emata. Etsi enim in singulis Poe-
matis multa sunt Physica, multa
item Oeconomica, quædam Po-
litica, quædam & historica, Ta-
men maxima pars Poematum
præcepta & exempla continet,
quibus omnes homines nõ mon-
strosi ad uirtutis amorem flecti
possunt. Nam leges propter bre-
uitatem non docent, sed nuda im-

peria proponunt. Poetæ autem, quia uitæ humanæ imagines pingunt, eligunt optima exempla, quorum commemoratio summa cum delectatiõe & authoritatem orationi affert & fidem. Ideo Solon & Pisistratus legem tulerunt, ut Homeri poema, quod est uirtutis encomium in quinquennali conuentu Attico solum præ cæteris scriptis recitaretur.

Omissis autem reliquis Poematis, nunc tantum de Bucolico carmine dicamus, cuius duo sunt præcipui scriptores, apud Græcos quidẽ Theocritus, apud Latinos uerò noster Virgilius, quorum uterque in hoc genere admirabilis est. Quanquam enim in Idyllijs & Ecclogis utriusq; Poe-

tæ introducuntur paſtores, quorum Muſa ruſtica non forum modo, uerum ipſam etiam urbem reformidat, tamen uenuſtiſsimæ ac iucundiſsimæ imagines uitæ horum ſermone ſimplici & humili pinguntur. Quem enim noſtrum fabula Theocriti de Comata, ſignificans pios Deo curæ eſſe, eisq; ſi non magnas opes, at mediocria commoda ſuppeditari, non delectat? Vt autem Theocriti piſcator lætatur ſomno aurei piſcis, Ita plurimi homines inanibus opinionibus delectantur, & fugaces umbras tanquam res certas ſequuntur.

Res quas Eclogæ Virgilianæ continent.

Quid dicam de Eclogis Virgilij, quarũ prima eſt laudatio Augusti proponens imaginem boni princi-

1 Ecloga.

principis? Nihil est enim quod principem magis ornet, quàm clementia. Hæc Cæsarem Deum fecit, Hæc Augustum cõsecrauit, ut M. Antonius in Epistola ad uxorem Faustinam scripsit. SECVNda est imago aulicæ beneuolẽtię. Etsi enim omnium hominum uoluntates sunt mutabiles, tamen aulica exempla sunt conspectiora, & magis in oculos incurrunt, ut in uersibus dicitur, II Ecloga.

Omne animi uitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur.

TERTIA & SEPTIMA continent imagines certaminum, quæ oriuntur ab ambitione, æmulatione, pertinacia & κακοζηλία, de quibus uerissimè Salustius dixit, Bonum publicum simulantes, III et VII.

pro ſua quiſque potentia certa‑bant, neqꝫ illis modeſtia, neque modus contentiõis erat. QVARTA ſumpta eſt de carminibus Si‑byllinis, quæ cum eſſent de Chri‑ſto dicta, tempusqꝫ eſſet ænigma‑tis quibuſdam inuolutum, eaqꝫ intelligeret Virgilius, de aliquo ex principibus Romanis exiſti‑mabat eſſe dicta, & Pollionis fi‑lio Salonino attribuit. QVINTA eſt Epicedion de morte Iulij Cæ‑ſaris. Etſi enim Muſa paſtoralis plerunque ſerpit humi tuta nimi‑um, pauidaqꝫ procellæ, tamen in‑terdum aſſurgit, & Principum ca‑ſus, aut negotia publica deſcribit. SEXTA eſt laudatio Galli Poetę, cuius ſtultus amor in decima & poſtrema Ecloga repræhẽditur.

Octaua

OCTAVA proponit imaginem, partim inepti, partim impij amoris. Est enim usitatum & notum malum, amor aberrans à Lege Dei, & multorum ingentium malorum caussa est, ut, propter amorem Paridis Troia euersa est, & Græci magnas clades acceperũt. vii.

NONA est querela de incommodis belli, hoc est, de obliuione doctrinarum, neglectione iudiciorum, interitu disciplinæ, & morum feritate, Sed carmina tantum ix.

Nostra ualent Lycida tela inter Martia quantum
Chaonias dicunt aquila ueniente columbas.

Sed hæc in ipsa enarratione Eclogarum uberius exponi solent.

Quam porrò delectat bonam mentem iucuda uarietas Eclogarum.

rum. Vt enim ſimilitudo eſt mater ſocietatis, ſic nihil eſt aptius ad delectationem lectoris, quàm rerum uarietas. Iam uerò conſtat in ſingulis Eclogis nouas imagines proponi. Quod enim de Theocrito Eobanus cecinit, id de noſtro Virgilio dici poteſt,

Accipe Simichidæ luſus Hieronyme uatis,
Quo uarium quicquam uix magis eſſe poteſt.
Paſtor, uenator, meſſor, piſcator, & auceps,
Nauita, miles, eques, pictor, & agricola eſt.

Ac ſi eſſet aliqua autoritas mea, hortarer Studioſos ad diligentiam conferendi Eclogas Virgilij cum Idyllijs Theocriti. Non enim fruſtra nec temere ab Eobano ſcriptum eſt,

Et tamen agnoſcas hic magni furta Maronis
Plurima, ſed nullo digna pudore legi.

Dixi breuiter de rebus, quas Eclogæ Virgilianæ continent, Nunc dicam de forma, ſeu charactere Eclogarum.

De forma seu charactere Eclogarum.

Quod autem genus dicendi in Eclogis ſit humile, de quo nihil tradi melius, neq; utilius poſſe puto, quàm quod Cicero in Oratore præcipit, Virgilius ipſe teſtatur, cũ Bucolicum carmen deductum nominat, hoc eſt, tenue & exile, translatione petita à lana. Vt igitur in communi ſermone crebrò uſurpari ſolere ſcimus interrogationes, ſententias, prouerbia, exclamatiões, reticentias, dubitationes, metaphoras, compa=

„comparationes,ſic eadem lumina „orationis in Eclogis & Idyllijs „uidere licet. Etſi autem hæc orationis ſubtilitas imitabilis uidetur exiſtimanti, tamen nihil eſt experienti minus, ut uerißimè Horatius exclamat in arte Poetica, Speret idem, ſudet multũ, fruſtraq́; laboret. Ac ut Studioſi propoſito exemplo intelligant, qua ratione Bucolici uerſus ad uſum transferendi ſint, adſcribam locum Senecæ, qui in libro quarto de beneficijs uerſus primæ Eclogæ Vergilianæ uenuſtißimè ad beneficentiam diuinam erga nos accommodauit.

seneca lib. 4 de beneficijs.

Nonne ſi gratus es dices, Deus nobis
hæc ocia fecit,
Namq; erit ille mihi ſemper Deus, illius aram

Sæpe

Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus,
Ille meas errare boues, ut cernis, & ipſum
Ludere, quæ uellem calamo permiſit agreſti.

Ille Deus non eſt, qui paucos boues, ſed qui per totum orbem armenta dimiſit, qui gregibus ubique paſsim uagantibus pabulum præſtat, qui paſcua hybernis æſtiua ſubſtituit, qui non calamo tantum cantare, & agreſte, atq; inconditum carmen, ad aliquã tantum oblectationem modulari docuit, Sed tot artes, tot uocum uarietates, tot ſonos, alios ſpiritu noſtro, alios externo cantus æedituros commentus eſt. Hæc Seneca celebrans Dei erga genus humanum beneficentiam.

Tuæ Celsitudini autem dedi=
co, Illustrissime Princeps, hæc ar
gumenta seu dispositiones Rhe=
toricas, quas clarissimus uir D.
Philippus Melanthon (piæ me=
moriæ) quondam doctissimis ui=
ris M. Ioanni Marcello Regio=
montano, & M. Ioanni Stigelio
& aliis, tanquam publicis profes=
soribus bonarũ artium in celeber
rima Academia Vuittenbergen=
si diuersis temporibus dictandas
proposuit, addoq́ meas breues
sanè Paraphrases, Ecphrases, &
quæstiones, quibus Eclogæ Vir=
gilianæ explicantur. Adieci quo=
que in fine Miscellanea, in quibus
de uariis rebus tractatur, idq́ fa=
cio ob eam caussam, ut hoc quale=
cunq́ monumentum meæ erga

Cels.

Cels. T. beneuolentiæ & debitæ obſeruantiæ erga fratres tuos Illuſtriſsimos ſignificationem habeas. Scio enim, idq́ꝫ grata mente prædico, quantū debeam parenti ueſtro, qui dum in uiuis erat, benè de Scholis & Eccleſijs meritus eſt, ſuoq́ꝫ exemplo conſtantiæ in ſummis periculis cōſtitutus cœleſtem doctrinā de filio Dei in multorum animis cōfirmauit. Eò etiā libentius hoc, quidquid eſt lucubrationis Cels. T. inſcripſi, Quia exploratum habeo, quāto ſtudio in lectione nō ſolum ſacrarum literarum, ſed etiam Poematum et hiſtoriarū uerſari Cels. T. ſoleat.

Oro autem filium Dei dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut ſibi inter nos Eccleſiam æternam

nam semper colligat, & accendat salutaria doctrinæ studia, quibus Ecclesia nullo modo carere potest. Seruet etiam diu saluos & incolumes Illustrissimos fratres cũ suauissimis coniugibus & dulcissimis liberis. Bene & feliciter uale ὦ ζῶ ἀληθεῖ θεῷ καὶ ταῖς μούσαις καὶ σπουδαίοις ἅπασι φίλτατε ἡγέμων, & hanc significationem mei erga Cels. T. studij boni consulito. Datæ Osterfeldiæ, Anno sal. 1.5.65. die Maij septimo, quo die OTHO primus, decimus Imperator Germanicus, rebus maximis gestis, & constitutis Ecclesijs Episcopalibus, Magdeburgensi, Misnensi, Brandeburgensi, Mersburgensi, Zizensi, mortuus est in oppido Quedelnburg, et sepultus Magdeburgi, ante annos 591.

D. IOHANNES STIGELIVS, DE VIVA IMAGINE D. PHILIPPI ME-lanthonis, Anno M. D. LV.

Sicut apis uario ſugens è flore liquorem
    Subtili preſſum nectare fingit opus,
Sic ſelecta etiam tibi mens arguta MELANTHON,
    Et ueris gignit ſcripta referta bonis.
Quid ſtrepitis fuci? qui quantum in pectore ſucci
    Fertis, ab hac una ſurripuiſtis ape.
Hæc apis officij memor, in commune laborans,
    Eſſe Deo gratum, quod facit, omne cupit.
Qui mundo pocius fuci inſeruire laborant,
    His ſua conueniens premia meta feret.
Cedite degeneres fucato pectore fuci,
    Hæc apis eſt ipſo uindice tuta Deo.
Quod ſi adeo cæco iuuat inſanire furore,
    Si fatum impietas non uidet iſta ſuum,
Hei quantum Chriſti alueolis examen ab ipſis,
    In ueſtram armabit ſpicula prompta necem.
Cedite degeneres fucato pectore fuci,
    Hæc apis eſt ipſo uindice tuta Deo.



B   P. Ver-



ARGUMENTUM IN SEQUUNTUR ARGUMENTA SEU DISPOSITIONES Rhetoricæ D. PHILIPPI MELANTHONIS, in Eclogas Virgilij.

QUO CONSILIO SCRIPTA SUNT INITIO BUCOLICA. P. M.

Superuacaneum est quærere, quæ sit origo Bucolici carminis. Semper enim fuerunt cantilenæ & rusticis figuris alias res ac personas in Cantilenis significare mos fuit, ut canticum Salomonis magna ex parte Bucolicum est, quo tamen describitur status regni Israël. Hoc igitur initio discant adolescentes pastorum personis & figuris significari alias magnas res in uita, & scribi hæc figurata poëmata, uel ad oblectationem, uel ad consolationem, uel ad deplorationem, uel ad affectus animi quoscunq; significandos, uel ad commonefaciendos homines, ac docendos de aliqua de re utili. Quare plærunq; aliqui loci communes assumuntur, ut apud Virgilium statim in prima Ecloga deploratur bellum ciuile. Apud Theocritum uituperantur uenustißime diuites auari, qui nolunt honésta studia iuuare, cum recitat fuisse quendam pastoris ministrum, qui quotidie sacrificare Musis unam ouem solitus sit, ut reliquum gregem Musæ seruarent.

Cresce-

Crescebant igitur oues domini, cum grex non periret pestilentia, aut alijs morbis per aliquot annos. Sed tandem audit Dominus quotidie mactari unam ouem Musis. Hanc iacturam tanti fecit, ut ministrum puniendum duxerit, qui exposita causa cum dixisset gregem á Musis seruatum esse, Experiar (inquit) an Musæ hactenus seruauerint gregem te amoto. Includit igitur ministrum in cauam arborem, ut eum fame interficeret. Aliquanto post totus grex pestilentia moritur. Hic auarus pastor agnoscere suum scelus incipit, & priorem ministrum desiderat. Forte igitur ad arborem uenit, in quam seruum incluserat & comperit ministrum adhuc uiuere, ac interim á Musis alitum esse, quæ apum examen in arborem miserant, ut ibi mel facerent, quo interim inclusus ille Poëta uictitarit. Hinc facile intelligi potest, quid significetur. Ita paßim allegoriæ in Bucolicis sparguntur. Hæc de ipso genere carminis & consilio scribentium carmina Bucolica obseruanda sunt.

TEXTVS PRIMAE ECLOGAE.

MELIBOEVS TITYRVS.



Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Agrestem tenui Musam meditaris auena.
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua.

Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida syluas.
O Meliboee, Deus nobis hæc otia fecit. Ti.
Namq; erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues, ut cernis, & ipsum
Ludere quæ uellem, calamo permisit agresti.
Non equidem inuideo, miror magis undiq; totis Me.
Vsq; adeo turbatur agris, en ipse capellas
Protinus æger ago, hanc etiam uix Tityre duco.
Hic inter densas Corylos modo namq; gemellos
Spem gregis, ah silice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis, si mens non læua fuisset,
De coelo tactas memini prædicere quercus.
Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen ille deus qui sit, da Tityre nobis.
Vrbem, quam dicunt Romam Meliboee, putaui Ti.
Stultus ego huic nostræ similem, quò sæpe solemus
Pastores ouium teneros depellere foetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hoedos
Noram, sic paruis componere magna solebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter uiburna cupreßi.
Et quæ tanta fuit Romam tibi causa uidendi? Me.
Libertas, quæ sera tamen respexit inertem Tit.
Candidior, postquam tondenti barba cadebat,
Respexit tamen & longo pòst tempore uenit.
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Nanq;

Nanq; (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamuis multa meis exiret uictima ſeptis,
Pinguis & ingratæ premeretur caſeus urbi.
Non unquam grauis ære domum mihi dextra redibat.
Mirabar quid mœſta Deos Amarylli uocares, Me.
Cui pendere ſua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat, ipſæ te Tityre pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta uocabant.
Quid facerem? neq; ſeruitio me exire licebat, Ti.
Nec tam præſentes alibi cognoſcere Diuos.
Hic illum uidi iuuenem Melibœe, quotannis
Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.
Hîc mihi reſponſum primus dedit ille petenti,
Paſcite, ut antè, boues pueri, ſubmittite tauros.
Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt, Me.
Et tibi magna ſatis, quamuis lapis omnia nudus,
Limoſoq; palus obducat paſcua iunco.
Non inſueta grauêis tentabunt pabula fœtas,
Nec mala uicini pecoris contagia lædent.
Forturate ſenex, hîc inter flumina nota,
Et fontes ſacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ ſemper uicino ab limite ſepes
Hiblæis apibus florem depaſta ſalicti,
Sæpe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.
Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras,
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.

Antè leues ergo pascentur in æthere cerui, Tit.
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Antè, pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm nostro illius labatur pectore uultus.
At nos hinc alij sitienteis ibimus Afros: Me.
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ ueniemus Oaxem,
Et penitus toto diuisos orbe Britannos.
En unquàm patrios longo pòst tempore fines,
Pauperis & tuguri congestum cæspite culmen
Post aliquot, mea regna uidens, mirabor aristas?
Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quò discordia ciues
Perduxit miseros: en queis conseuimus agros.
Insere nunc Melibœe piros, pone ordine uites.
Ite meæ, quondam fœlix pecus, ite capellæ,
Non ego uos posthac uiridi proiectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe uidebo:
Carmina nulla canam: non me pascente capellæ
Florentem cytisum, & salices carpetis amaras.
Hîc tamen hac mecum poteras requiescere nocte Ti.
Fronde super uiridi: sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & preßi copia lactis:
Et iam summa procul uillarum culmina fumant,
Maioresq; cadunt altis de montibus umbræ.

Argu-

ARGVMENTVM IN PRIMAM ECLOGAM.

PRIMA Ecloga continet gratiarum actionem. Orditur autem á gratulatione alterius rustici, ut esset occasio narrationis, qua paulo altius repetita rusticorum more commemorat beneficium Cæsaris. Postea, ut fieri solet, amplificat istud beneficium ab effectu seu á consequentibus, uidelicet, quod nunc domi rebus suis tuto frui liceat & sit beatus. Item collatione, Alij eiecti possessionibus exulant. Et hic asperguntur quædam πάθη. Item Epiphonema á causa malorum, Bellum ciuile tales calamitates affert. CONCLVSIO habet ἀδύνατον, Ergo prius rerum natura mutabitur, quam obliuiscar huius beneficij. Erit igitur adolescentibus hæc Ecloga commodum exemplum tractandæ gratiarum actionis, quæ constat Enthymemate, Magno beneficio á Cæsare sum affectus, Ergo nunquam illius obliuiscar. Antecedens, ut dixi, est amplificatum propemodum tribus schematis, ab effectibus seu á consequentibus, collatione & affectu, Nam cætera, ut in poëmatæ, sunt Dialogica, & inseruiunt decoro.

ALIA DISPOSITIO EIVSDEM in eandem Eclogam.

HAEC Ecloga seu tota hæc oratio Generis Demonstratiui est. Nam præterquam quod hic Cæsari Augusto sub Tityri persona gratias agit, qui totius Eclogæ status est, multæ sunt hic urbium atq;

locorum laudes & descriptiones, de Italiæ & ueterum colonorum, qui agris pellebantur, miserijs & calamitatibus querelæ, ciuilium bellorum uituperatio & execratio. Maxime autem in laudando Augusto uersatur Poëta. Et ut orationis seriem ac dispositionem facilius uidere ac complecti in animo adolescentes poßint, indicabo paulo prolixius carminis ordinem. PROPOSICIO est, Nos misere habemus pulsi sedibus nostris. Hanc propositionem figurauit contentione & antithesi, At tu interim qui meliori fortuna uteris, securus cantando sub patula arbore te oblectas. Est quoq; schemate, Expolitione, illustrata proposicio ac affectu. Obseruabis autem Meliboei orationem perpetuam quandam esse querimoniam calamitatum, & miseriarum deplorationem, Tityri uero gratulatoriam, qui ubiq; Augusti laudes & illius erga se beneficia pleno, quod aiunt, ore prædicat. Deinde proposicioni statim mutata persona beneuolentiæ captationem subijcit, quæ tracta est á Cæsaris persona, dum illum Deum appellat, & eius in se beneficia recenset.

Porrò ne Tityrus suspicetur Meliboeum inuidere sibi illud ocium, cum suam fortunam cum illius fœlicitate confert, mox illud occupat, Non ideo se illius fortunam prædicare, & suam deplorare, quod id sibi doleat, sed ait se mirari, quod in istis tantis motibus, & ueterum colonorum exturbatione solus Tityrus suos agros obtineat, & ocio illo fruatur, cum tamen

ad ne=

ad neminem non iſtius mali labes peruenerit. Atq; ut ſuum infortunium magis teſtatum faciat & declaret Tityro, δεικτικῶς ei capellas, quas æger patria, & ſuis bonis pulſus ducebat, corám oſtendit, quam calamitatem auget etiam affectu, cum per Hypotypoſin ait ſe uix ducere capellam, quæ iam in nuda ſilice enixa gemellos relinquere cogatur. Poſtremo amplificauit hunc locum á prodigiorum mentione, & cupit certior fieri á Tityro Melibœus, quis Deus iſtius ocij ei ſit author.

TITYRUS autem orditur narrationem ſuam á loci deſcriptione egregie ſeruato decoro. Nam non mox Melibœo reſpondet, per quem iſtud ocium ac ſecuritatem ſit conſecutus, ſed per ambages quasdam, quibus in narrando plærunq; ſolent uti ruſtici, Primum eam urbem deſcribit, in qua ille uiderit ſuum Deum. Continetur autem urbis Romæ laus in his comparationibus á diſsimili ductis, quæ mirabiliter ſunt ſimplices & plané Bucolicæ. Porró data per Melibœum occaſione exponitur hic quoq; cauſa, cur ſe Romam relicta Mantua Virgilius contulerit, ut narratio ſit & prolixior & illuſtrior, libertatis ſcilicet conſequendæ gratia. Fingit autem ſe ſeruum fuiſſe (quanquam reuera liber fuit Virgilius,) ut Augusti beneficia magis & copioſius predicet, ac uerſatur hic totus locus in proſopopeia quadam. Nam tum ſe primum liberiorem uiuendi rationem, & proſperiorem fortunæ flatum nactum ait, cum ueteri amica

ARGVMENTVM

Mantua patria relicta Romam ad Amaryllida uenerit, atq; hunc locum amplificauit collatione pristini status, nullam sibi gratiam á Mantua esse relatam, quanquam multa in eam contulerit beneficia, Romæ autem haberi honorem uirtuti.

Postea Melibœus gratulatur Tityro illam fœlicitatem, & laudat rus eius ab amœnitate. Sed quia Tityri persona tota uersatur in agendis gratijs Cæsari Augusto, quem dixi Eclogæ esse statum, Ideo absoluta narratione ab impoßibili argumento ducto ait, nunquam futurum, ut illius in se meritorum obliuiscatur. Meliboei autem oratio est perpetua quædam de præsenti rerum statu querela. Quare postquam iam Tityri fœlicitatem satis prædicauit Melibœus, redit per collationem & antithesin, ut in principio cæperat, ad suam & aliorum, qui agris suis pellebantur, miseriam. Est autem uarijs figuris & affectibus illustratus hic postremus locus.

ALIA DISPOSICIO EIVSDEM in eandem Eclogam.

Solebant Romani Imperatores in municipalibus agris, eiectis ueteribus colonis, milites, ut eorum animos sibi demererentur, collocare. Proinde cum Transpadanos agros Augustus diuideret (Nam Transpadani adiuuerant Antonium in ciuili bello contra Augustum) amisit & suum Virgilius. Is postquam Augusto Romæ innotuit intercedentibus pollione.

one, Mecænate & alijs, ingenio meruit, ut ager sibi paternus restitueretur, Hic Augusti beneficium prædicat Poëta. Imitatur carmen genus Demonstratiuum. Nam ordine recensetur factum á Tityro, qui Virgilium representat. Meliboei persona adiecta est, ut contentione ornaretur & amplificaretur carmen. Nam hic aliâs deplorat eorum sortem, qui é suis possessionibus eiecti erant, aliâs bene precatur Virgilio. Si eximas Meliboei personam, sermo Tityri perpetua quædam narratio fuerit, quæ qua ratione, quo ordine constet, quibus sit ornata figuris, ita demum intelliget adolescens, si soluta oratione carmen exposuerit.

ALIVD EIVSDEM.

Nomen Eclogæ non est á capris factum, sed simpliciter significat lectionem seu enarrationem seu adnotationem. Sunt autem in alijs continuæ expositiones, in alijs colloquia distincta personarum, & in utroq; quid deceat, & quomodo ingeniosé utranq; formam tractauerint, obseruandum est. Nunc de prima Ecloga Virgilij dicam. Vt autem antea monui, significari res magnas figuratis narrationibus, quærendum est argumentum ex temporum illorum historijs. Duæ sunt personæ in prima Ecloga, quarum altera agit gratias pro reddito prædio, Altera deplorat bella ciuilia, & calamitatem ciuium, qui ex possessionibus suis propter ciuile bellum expulsi erant. Hunc locum

cum communem assumit Ecloga, qui præcipue hic obseruandus est. Monet enim deprecanda & uitanda esse dißidia ciuilia. Historia autem, quæ prebuit occasionem huic carmini, hæc est, Non facile sedantur ciuiles tumultus, ut hæc ipsa historia ostendit.

Cum Octauius Augustus & M. Antonius oppreßissent Brutum & Caßium, Antonius in Asiam traiecit, Octauius Romam rediјt, ut res urbanas constitueret, & ueteranis daret promissos agros. Sed quia crudele est expellere possessores, hæc ipsa res nouum bellum Augusto excitauit. Nam Lucius Antonius frater M. Antonij Consul opponebat se Octauio, & collecto exercitu circa Perusiam & Cremonam impedire Octauium conatus est. Sed paulo post fame coactus Octauio sese dedit. Ibi Octauius Augustus uictor iam ueteranis agros attribuit. Erant autem Cremonenses agro mulctati, quod cum L. Antonio sensissent, cumq; horum ager diuideretur, nec sufficeret militibus, accidit (ut dici solet) malum uicinis Mantuanis propter uicinum malum, pars Mantuani agri etiam attributa est militibus. Hic Virgilius suum prædium amisit, profectus igitur Romam, uenit in noticiam & familiaritatem Cornelij Galli, qui cum prædicaret Augusto ingenium, eruditionem, & mores Virgilij, impetrauit, ut prædium ei restitueretur. Id Augusti beneficium celebrat in hac Ecloga. Sed ut beneficij commemoratio esset illustrior, addita est contraria querela expulsi patrisfamilias ex suis laribus, & hæc

pars

pars eò addita est, ut in narratione alioqui agresti, tamen aliquis grauis locus aspergeretur & lectori sapienti gratus. Est igitur argumenti summa, Gratiarum actio de redditis agris, & querela ciuium expulsorum ex agris. Hæc de re monuisse satis est.

Nunc de genere orationis dicendum est. Nam hæc scripta ideo proponuntur, ut adolescentes recte iudicare de oratione, & recte loqui ac scribere discant. Sermo est proprius & tenuis, & membra in sua cuiusq; personæ oratione apte cohærent. Tityrus proponit sibi redditos esse agros, exaggerat beneficium, & in fine addit se perpetuo memorem & gratum futurum esse. Meliboeus uero querelam orditur, & constituta propositione eam exaggerat. Proposicio eius est proprijs uerbis explicata, Nos patriæ fines &c. Deinde exaggerat per Hypotyposin, usq; adeo turbatur agris &c. In fine amplificatur narratio addita causa calamitatum, Hæc mala (inquit) orta sunt ex discordijs ciuilibus, En quo discordia ciues perduxit miseros &c. Maxime autem prodest studiosis diligenter considerare proprietatem sermonis & ordinem membrorum, ut hæc exempla imitantes se quoq; ipsi ad proprietatem in sermone assuefaciant & apte cohærentia dicere & scribere discant. Hæc præcipua utilitas ex his exemplis petenda est.

ALIA EIVSDEM.

Locus primæ Ecloge præcipuus est, quod Tityrus representat ipsum Poëtam, cui concessu & munere

munere Augusti facultates erant in tuto. Melibœus est imago exulum, qui pulsi suis sedibus uagari & errare cogebantur, Iuxta uersiculos Tyrtæi, qui omnibus noti sunt. Nam miserum est procul à patria, laribusq; uagari, Non exul curæ dicitur esse Deo.

Agit igitur Virgilius Augusto gratias pro hoc tanto beneficio, quod in medijs fluctibus & procellis ciuilium motuum conseruatus sit, nec ullum detrimentum rei familiaris cæperit. Contrà Melibœus deplorat preßis & flebilibus modis suam calamitatem. Estq; hæc tota Ecloga pictura horum temporum, in quibus multi boni suis fundis & facultatibus spoliantur. Pauci uero singulari dispensatione & clementia bellatorum suas facultates retinuerunt.

ALIVD EIVSDEM.

Prima Ecloga continet querelam pastorum, siquidem coacti sunt post bellum ciuile gestum inter Cæsarem & Pompeium deserere suas poßeßiones. Augustus enim cum agri Cremonensium non sufficerent suis militibus, iußit etiam Mantuanis adimi suos agros. Itaq; Virgilius Romam concedens summorum uirorum, qui gratia & authoritate apud Augustum plurimum ualebant, precibus usus suos agros iterum recuperauit.

ALIVD EIVSDEM.

POëmata Virgilij alia rationem morum tradunt, alia Physiologiam, alia simpliciter pro exercitio scripta sunt. Exemplum morum Aeneis continet. Georgica habent Physiologiam. Bucolica tantum in-

genij exercitium ostendunt. Habent tamen & hæc aspersa quædam præcepta morum. Fieri enim non potest, ut sit aliquod scriptum, in quo nihil sit, quod ad mores faciat. Cæterum Bucolicum hoc carmen, quamtumuis in speciem uideatur humile, ualde carum esse debet studiosæ iuuentuti. Habet enim præter dicendi rationem multos iucundos & utiles locos.

PRIMAE Eclogæ duplex est argumentum. Meliboeus de sua calamitate & infortunio queritur. Tityrus recenset beneficia accepta ab Augusto Cæsare. Cum enim ager Mantuanus Romano militi aßignatus esset, & ueteres coloni pellerentur, Virgilio suæ res incolumes manserunt. Id beneficium hac Ecloga narrat ac prædicat. Duplex est Propositio, Tuæ res omnino sunt saluæ, Meæ uero grauiter periclitantur. Prima Propositio de fœlicitate copiosius repetitur. Repeticioni subiecta est narratio, qua exponit alteram propositionem de infælicitate. Additur amplificatiuncula sumpta ab omnibus. Sequitur altera narratio propositionis de fælicitate, qua exponit ordine, quomodo consecutus sit ocium. Hanc orditur à descriptione Romæ, quæ est figurata per collationem. Inserta est & apostrophe ad Amaryllida, quæ est sumpta ex admiratione fælicitatis. Narrationi subiecta est gratulatio, quæ habet descriptionem prædij Virgiliani, & enumerationẽ multorum commodorum ex prædio. Conclusio continet graciarum actionẽ & querimoniam propter duplicem propositionem. In fine est addita suauis & iucunda inuitatio.

ALEXIS.
ECLOGA II.

FOrmosum pastor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini: nec quid speraret, habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Assiduè ueniebat: ibi hæc incondita solus
Montibus, & syluis studio iactabat inani.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:
Nil nostri miserere, mori me deniq; cogis.
Nunc etiam pecudes umbras, & frigora captant:
Nunc uirides etiam occultant spineta lacertos:
Thestylis & rapido fessis messoribus æstu
Allia, serpillumq; herbas contundit olentêis.
At mecum raucis, tua dum uestigia lustro
Sole sub ardenti, resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius, tristêis Amaryllidis iras,
Atq; superba pati fastidia? non ne Menalcam?
Quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses.
O formose puer, nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, uaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec quis sim, quæris Alexi:
Quàm diues pecoris niuei, quàm lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.
Lac mihi non æstate nouum non frigore desit.
Canto, quæ solitus, si quando armenta uocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.
Nec sum adeò informis: nuper me in littore uidi,
Cùm placidum uentis staret mare: non ego Daphnim
Iudice

Iudice te metuam, si nunquam fallit imago.
O tantûm libeat mecum tibi sordida rura,
Atq; humileis habitare casas, & figere ceruos,
Hœdorumq́; gregem uiridi compellere hibisco.
Mecum una in syluis imitabere Pana canendo.
  Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit: Pan curat oues, ouiumq́; magistros.
Nec te pœniteat calamo triuisse labellum:
Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens, Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damœtas: inuidit stultus Amyntas.
  Præterea duo, nec tuta mihi ualle reperti
Capreoli: sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ouis ubera: quos tibi seruo.
Iampridem à me illos abducere Thestylis orat:
Et faciet: quoniam sordent tibi munera nostra.
  Huc ades ô formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Nais
Pallentes uiolas, & summa papauera carpens,
Narcissum, & florem iungit bene olentis anethi.
Tum casia, atq; alijs intexens suauibus herbis,
Mollia luteola pingit uacinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasq́; nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna: & honos erit huic quoq; pomo.
Et uos ô lauri carpam, & te proxima myrte:

Sic positæ quoniam suauêis miscetis odores.
Rusticus es Corydon: nec munera curat Alexis:
Nec si muneribus certes, concedat Iolas.
Eheu quid uolui misero mihi? floribus Austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis ah demens? habitarũt Dij quoq; syluas,
Dardaniusq; Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia syluæ.
Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem cytisum sequitur lasciua capella:
Te Corydon ô Alexi: trahit sua quenq; uoluptas.
Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuuenci:
Et sol crescentes decedens, duplicat umbras:
Me tamen urit amor, quis enim modus adsit amori?
Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?
Semiputata tibi frondosa uitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus molliq; paras detexere iunco?
Inuenies alium, si te hic fastidit Alexis.

ARGVMENTVM IN SECVNDAM ECLOGAM.

SECVNDA Ecloga constat etiam perpetuo argumento. Corydon enim ambit amicitiam Alexidis & recitat causas, quare non sit aspernandus. Hæc summa est argumenti. Sed figura est Bucolica, & significat Virgilium ambire amicitiam seu Augusti, seu alterius cuiuspiam, & certe simile quiddam.

Talibus enim figuris solent inuolui alia argumenta ut apud nos cantilenæ extant figuratæ, in quibus rustica=rum personarum imagine aliæ personæ significantur. Est autem generis Deliberatiui. Quia est petitio, qua rogat Corydon se non despici ab Alexide. Priores quinq; uersus sunt argumentum Eclogæ. Deinde se=quitur propositio, ò crudelis Alexi &c. & amplifi=cat eam querela per collationem, omnia alia habent, quo recreantur & leuent suos labores, Ego solus non possum acquiescere. Rationes propositionis inchoat ab occupatione, Quanquam formosus es, tamen etiam oppono alia plura bona illi fragili & caduco bono. Primum igitur argumentum sumitur à diuitijs. Secun=dum ab arte. Tertium à forma. Quartum ab utilitati=bus, ubi obiter ruris commoda laudat. Deinde dona promittit, & intertexit uenustißimos affectus Zelo=typiæ. Quinto sequitur correctio, quod Alexis non capiatur muneribus. Sexto diluit obiectionem de in=dignitate, & argumentatur ab exemplo, Habitarunt Dij quoq; siluas &c. Septimo amplificatio addita est per similitudinem, Alij aliud amant, Corydon Alexin. Deinde addit correctionem totius querelæ, qua ad sa=nitatem redit, & se ipsum obiurgat & commonefacit, ut suas res agat, seq; ab hoc furore reuocet. Oratio est mollißima & propria, sed conspersa quibusdam figu=ris, quæ Bucolico generi conueniunt. In primis est pulchra Hypotiposis, cum ait Corydon, se uelut in speculo suam faciem in mari conspexisse. Deinde sunt

duæ elegantißimæ coaceruationes, Altera de hortensibus donis, sertis, Pomis. Altera, quæ continet collationem & gnomen, quod alij alijs rebus capiantur, estq; ornata gradatione.

ALIA EIVSDEM.

IN omnibus Eclogis duo potißimum spectanda sunt, Locus communis, & imitatio Poëtæ. Nam omnes Eclogæ inuolucris uerborum insignem aliquem locum sumptum ex consideratione uitæ humanæ explicant. Deinde cum Virgilius se composuerit ad imitationem Theocriti, uidendum est, cum quibus Idyllijs aut totæ Eclogæ, aut partes earum congruunt. Quod igitur ad locum communem huius Eclogæ attinet, non dubium est, eam continere querelam de mobilitate & inconstantia fauoris aularum. Etsi enim in omnium hominum pectoribus tantæ sunt latebræ, ut eas nemo satis perspicere poßit, iuxta illud Hieremiæ, peruersum est cor hominis ærumnosum & inscrutabile, Tamen aularum fauore nihil obscurius, nihil incertius, nihil fallacius est, Plena est omnis historia exemplorum. Sed nos duobus exemplis Euripidis & Arati Sycionij contenti erimus. Euripides Poëta ualde familiaris fuit regi Macedonico Archelao. In eius aula aliquandiu uixit & magnis honoribus á rege ornatus est. Sed cum aulici inuiderent homini scholastico hanc prærogatiuam gratiæ, qua apud Regem ualebat, insidias uitæ ipsius struxerunt. Cum enim noctu ex aula domum

rediret Euripides, Aulici canes incitati ab inuidis, ac æmulis bonum Poëtam dilaniarunt. De Arato Plutarchus scribit, eum fuisse in magna gratia apud postremos reges Macedonicos successores Alexandri, Philippum & Persea. Sed huic optimo uiro ab aulicis regum Macedonicorum lentum uenenum, quod eum paulatim absumpsit, datum est. Quare cum finem suæ uitæ instare uideret & causam morbi non ignoraret, hac ratione usus est, qua omnes bonos reuocare potest à stulto amore aularum, Hæc (inquit) sunt premia regiæ amicitiæ. Deniq; uenustißime apud Græcos dicitur, Hominem Philosophum uersantem in aulis non dißimilem esse asino uersanti inter simias. Hæc, quæ in genere dicta sunt de thesi, nunc ad Hypothesin transferamus. Consentaneum est, ut sunt uices in aulis, Virgilium, qui Mecænatis intercesßione & commendatione in noticiam Augusti uenit, calumnia deformatum esse, aut aliqua suspitione futili animum Augusti ab aulicis occupatum & à Virgilio abalienatum fuisse. Hoc animaduertens Virgilius, ut homo sagax in gustandis hominum sensibus deplorat suam infælicitatem, quod relicto Philosophico uiuendi genere, quod intelligit appellatione pastoralis uitæ, cuius præcipuum condimentum est Musica, sese contulerit & conuerterit ad aulam. Etsi autem offensum Augusti animum & sauciatum calumniosa oratione inuidorum sibi conciliare & sanare studet, Tamen ita est animo confirmatus, ut si omnino carendum sit au-

lica beneuolentia, non grauatim ad pristinum genus uitæ tranquillius rediturus sit. Hæc est, quantum ego existimare possum, summa loci præcipui in hac Ecloga. Quod uero ad imitationem attinet, sciendum est Virgiliũ ad tria Idyllia Theocriti potissimum respexisse, uidelicet, ad Vndecimum & tertium, & postremum.

ALIVD EIVSDEM.

ERAT Virgilius parum adhuc notus & familiaris Augusto Cæsari. Quare conatur hic eum in sui amorem pellicere. Versatur autem oratio in perpetua querela ferè, se negligi ab Augusto. Quanquam sint, qui per Alexin Alexandrum puerum à Pollione Virgilio donatum intelligere malint. Et quanquam non omnino constet & appareat, quid in consilio fuerit Virgilio, quidue in hac Ecloga uoluerit, certum tamen est respexisse Poëtam ad Græcam imitationem Theocriti, cuius pleraq; Idyllia in hac Ecloga, quemadmodum in alijs quoq;, imitatur. Maxime autem sumpsit locos in hac Ecloga ex Theocriti Cyclope, & tertio, & postremo. Oratio uero est generis deliberatiui, utitur enim hic locis suasorijs, dum ad amorem Alexin inuitare conatur, hoc est, in gratiam Augusti se insinuat, qui est Eclogæ status. Nam suas opes, suam formam, suas artes, sua dona prædicat. Si quid præterea male conuenit huic argumento, figurandæ Eclogæ & orationis gratia à Poëta iudicemus additum

tum esse. Alij autem hanc Eclogam flectunt ad Thesin, uidelicet, ad dißimilitudinem morum, studiorumq; male cohærentis amicitiæ. Qua de re uide Eras. in libello de instituendis liberis.

ALIVD EIVSDEM.

HAEC Ecloga continet quærimoniam Poëtæ, eò quod parum gratiosius sit apud Augustum. Apparet autem scriptam esse hanc Eclogam, cum Virgilij negocium uideretur magis magisq; extrahi, sicut ipse queritur Ecloga prima, Respexit tamen & longo post tempore uenit. Porrò hæc querimonia figurata est parabola amoris, qui tantum hoc agit, ut multis argumentis probet se contemni, quanquam interim indigne fiat illa iniuria.

ALIVD EIVSDEM.

ARgumentum secundæ Eclogæ est, quod Corydon indigne fert contemni se ab Alexide. Estq; in hac Ecloga simulachrum quoddam propositum amicitiæ male coherentis, in qua omnia sunt dißimilia. Fingit enim Corydonem rusticum, Alexin uero urbanum, Corydonem pastorē, Alexin aulicū, Corydonem indoctū, Alexin eruditū, Corydonem ætate prouectū, Alexin adolescentē, Corydonē deformem, Alexin formosum, & similia. Porrò cōtinet hæc Ecloga perpetuam querelā de infælici amore. Primo loco est ꝑpositio seu summa querelæ, quæ deinde copiosius exponitur. Hanc amplificat à descriptione tēporis. Subijcitur increpatio sui ipsius. Deinde est apostrophe ad Alexin

continens generalem sententiam, non esse nimium fidendum pulchritudini. Postea fit repetitio querelæ. Huic subyciuntur loci suasorij ad mutuum amorem. Primus locus est ab opibus rusticis. Secundus á peritia Musices. Tertius á forma. Interseritur uotum, quo repetit superiores locos de opibus & pericia Musices. Quartus locus continet commemorationem donorū. Vltimus locus suasorius habet inuitationem á commendatione ruris. Additur correctio per increpationem, frustra inuitari Alexin ad amorem muneribus, & commendatione ruris. Amplificatur correctio per exclamationem, putabam commemoratione rusticarum opum te posse persuaderi, ut me ames. Verum eo nomine magis me fugis, & prorsus odisti rus. Additur increpatio ab exemplis, quod Alexis sit inhumanus, qui contemnat rura. Postea repetitur instituta querela de infælici amore. Hæc amplificatur quadam gradatione de diuersis uoluptatibus animalium. Additur & admiratio nimij amoris erga Alexin. Conclusio habet reprehensionem inuitando seipsum ad laborem.

PALAEMON.

ECLOGA III.

MENALCAS, DAMOETAS, PALAEMON.

DIC mihi Damœta, cuium pecus an Melibœi? Nō, uerū Aegonis: nuper mihi tradidit Aegō. D
Infelix ô semper ouis pecus: ipse Neæram Me.

Dum fouet, ac ne me sibi praeferat illa ueretur,
Hic alienus oueis custos bis mulget in hora:
Et succus pecori, & lac subducitur agnis.
Parcius ista uiris tamen obijcienda memento. Da.
Nouimus & qui te, transuersa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles nymphae risere, sacello.
Tum credo, cùm me arbustum uidere Myconis, Me.
Atq; mala uites incidere falce nouellas.
Aut hic ad ueteres fagos, cùm, Daphnidis arcum Da.
Fregisti, & calamos: quae tu peruerse Menalca
Et cùm uidisti puero donata, dolebas:
Et si non aliquá nocuisses, mortuus esses.
Quid domini faciant, audent cum talia fures? Me.
Non ego te uidi Damonis pessime caprum
Excipere insidijs, multum latrante Lycisca?
Et cum clamarem, Quò nunc se proripit ille?
Tityre coge pecus: tu post carecta latebas.
An mihi cantando uictus non redderet ille, Da.
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit, & mihi Damon
Ipse fatebatur: sed reddere posse negabat.
Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera Me.
Iuncta fuit? non tu in triuijs indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?
Vis ergo inter nos, quid posit uterq;, uicissim Da.
Experiamur? ego hanc uitulam (ne forté recuses,
Bis uenit ad mulctram, binos alit ubere foetus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

De grege non ausim quicquam deponere tecum. Me.
Est mihi nanq; domi pater, est iniusta nouerca:
Bisq; die numerant ambo pecus, alter & hœdos.
Verum id, quod multò tute ipse fatebere maius,
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita uitis,
Diffusos hedera uestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon, &, quis fuit alter?
Descripsit radio totum qui gentibus orbem:
Tempora quæ messor, quæ curuus arator haberet.
Necdum illis labra admoui, sed condita seruo.
Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit: Da.
Et molli circùm est ansas amplexus acantho:
Orpheaq; in medio posuit, syluasq; sequentes.
Necdum illis labra admoui, sed condita seruo.
Si ad uitulam spectes, nihil est quòd pocula laudes.
Nunquã hodie effugies: ueniã quocunq; uocaris. Me.
Audiat hæc tantum uel qui uenit: ecce Palæmon:
Efficiam posthac ne quenquam uoce lacessas.
Quin agè, si quid habes, in me mora nõ erit ulla: Da.
Nec quenquam fugio, tantùm uicine Palæmon
Sensibus hæc imis (res est non parua) reponas.
Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba: Pa.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc frondent syluæ, nunc formosissimus annus.
Incipe Damœta, tu deinde sequêre Menalca.
Alternis dicetis: amant alterna Camœnæ.

A Ioue principium Musæ: Iouis omnia plena: Da.
Ille colit terras, illi mea carmina curæ:
Et me Phœbus amat: Phœbo sua semper apud me Me.
Munera sunt, lauri, & suauè rubens hyacinthus,
Malo me Galatea petit lasciua puella: Da.
Et fugit ad salices, & se cupit antè uideri.
At mihi sese offert ultrò meus ignis, Amyntas: Me.
Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.
Parta meæ Veneri sunt munera: nanq; notaui Da.
Ipse locum, aêriæ quó congessere palumbes.
Quod potui, puero syluestri ex arbore lecta Me.
Aurea mala decem misi: cras altera mittam.
O quoties, & quæ nobis Galatea locuta est: Da.
Partem aliquam uenti Diuûm referatis ad aures.
Quid ꝓdest, q̃ me ipse animo nõ spernis Amynta. M.
Si, dum insectaris apros, ego retia seruo?
Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola: Da.
Cùm faciam uitula pro frugibus, ipse uenito.
Phyllida amo ante alias: nam me discedere fleuit: Me.
Et longúm formose uale, uale, inquit, Iola.
Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, Da.
Arboribus uenti, nobis Amaryllidis iræ.
Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis, Me.
Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas.
Pollio amat nostrã, quamuis sit rustica, musam: Da.
Pierides uitulam lectori pascite uestro.
Pollio & ipse facit noua carmina, pascite taurũ, Me.
Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

Qui te Pollio amat, ueniat, quò te quoq; gaudet. Da.
Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum.
Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui. Me.
Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat hircos.
Qui legitis flores, & humi nascentia fraga, Da.
Frigidus ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.
Parcite oues nimium procedere: non bene ripæ Me.
Creditur: ipse aries etiam nunc uellera siccat.
Tityre pascentes à flumine reice capellas: Da.
Ipse, ubi tempus erit, omneis in fonte lauabo.
Cogite oues pueri: si lac præceperit æstus, Me.
Vt nuper, frustra pressabimus ubera palmis.
Eheu quam pingui macer est mihi taurus in aruo: Da.
Idem amor exitium est pecori, pecorisq; magistro.
His certè neq; amor causa est: uix oßibus hærent. Me.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
Dic qbus in terris (& eris mihi magnus Apollo) Da.
Treis pateat cœli spatium non amplius ulnas.
Dic quibus in terris inscripti nomina regum Me.
Nascantur flores: & Phyllida solus habeto.
Non nostrum, inter uos tantas componere lites: Pa.
Et uitula tu dignus, & hic: & quisquis amores
Aut metuet dulceis, aut experietur amaros.
Claudite iam riuos pueri: sat prata biberunt.

ARGVMENTVM IN TERTIAM ECLOGAM.

TERTIA Ecloga dißimilis est superioribus. Nam superiores sunt magis oratoriæ. Constant enim

enim perpetua quadam unius propositionis expolitione, cui adduntur confirmationes & amplificationes, ut fit in integris oratorū causis. Propterea sunt exempla admodum utilia scripturis unū aliquod continuū argumentū. Sed tertia Ecloga nō constat uno perpetuò argumento. Est enim contentio pastorum, qui inter se certant uariјs dictis, similibus, contrariјs, aut alιјs allusionibus. In his plurimum est figurarum, argutiarum, & aculeorum, quibus aut uenuste notantur æmuli, aut amici honorifice ornantur Enconijs. Deniq; salse & argute dicta multa sunt in hac Ecloga, quæ ad communem usum, tāquam prouerbia transferre possumus, qualia sunt ista, qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui, Hic salse ridentur inepti Poëtæ. De fucatis amicis & insidiosis, frigidus ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba. Est igitur hæc Ecloga exemplum uenustæ & figuratæ altercationis, qualis in Dialogis & sæpe in congreßibus incidit, ubi breui aculeo aliquem notamus aut referimus, aut aliquid retorquemus. Ad hanc urbanitatem prodest meminisse exemplum huius Eclogæ.

SECVNDA utilitas est, ipsos Prouerbiales uersus excerpere & transferre ad nostra negocia, ut de scriptis Coclei & VVicelij dici poßit, Qui Bauium non odit &c. De liuidis & uirulentis ingenijs, Etsi non aliqua nocuisses, mortuus esses. De insulsis scriptoribus, stridenti miserum stipula disperdere carmen. Et quidem præcipue altercatio pastorum instituta

ficta est, ut significet eruditos de ingenij laude certantes & interim alios ineptos Thrasones derideat, qui & ipsi congredi cum doctioribus conantur.

ALIVD EIVSDEM.

GENERIS Iudicialis est hæc Ecloga. Continet enim rixas, iurgia, & duorum pastorum rusticum certamen, uter cantando præstet & antecellat. Porrò est tota ad Græcam imitationem conscripta à Virgilio. Nam ex quarto & quinto Theocriti Idyllio hæc ferè omnia mutuatus est Poëta, quanquam etiam ex alijs pleraq; sumpserit, quæ suis locis indicauit H. Eobanus Hessus, piæ memoriæ, ut uideant pueri, quæ sit recta ratio uertendi Græcos scriptores. Apparet autem hoc fuisse in consilio Poëtæ, dum hanc scriberet, ut uertendo Græco carmine per ludum copiam exerceret, & attingit leuiter Pollionis laudes, cuius opera quoq; suos agros ab Augusto impetrauerit. Cæterum hæc Ecloga habet tres partes. Prima pars est exordium, in quo contendunt inter se pastores & uerba commutant alter alteri crimina obijciens. Secunda est Prouocatio ad certamen canendi. Tertia pars est ipsum certamen, in quo deorum laudes, amores, encomia clarorum uirorum, insectatio æmulorum & indoctorum texitur.

ALIVD EIVSDEM.

HAEC Ecloga primum iurgia & contentiones inter pastores continet, Mox certamen canendi propo-

propositis pignoribus, cuius certaminis iudex constituitur Palæmon, unde nomen est Eclogæ qui tamen non pronunciat, sed relinquit sententiam in ambiguo. Etsi autem certo sciri non potest, quid hac Ecloga Virgilius sibi uelit, tamen apparet eum significare uoluisse duorum Poëtarum uel potentum ciuium Romanorum æmulationem, quorum alter alteri non uoluerit cædere. Tales æmulationes sunt ferè in omni generæ uitæ, & præsertim inter doctos. Omnes enim nos primas appetimus, & præ alijs nos extolli cupimus, quod uitium à Græcis φιλαυτία, hoc est, amor sui ipsius dicitur, & ut est fædum, ita pernitiosum & summo studio fugiendum.

ALIVD EIVSDEM.

TERTIA Ecloga habet duas partes, Conuicia mutua pastorum & contentionem. Inicium conuitiorum sumitur ab accusatione heri Aegonis & serui Dametæ. Aegonem accusat indiligentiæ, quod plus colat amicam, quàm pecus. Seruum uero accusat infidelitatis ac furti. Porrò conuitia sunt facta ex obiectionibus & confutationibus. Post conuicia ponitur occasio contentionis, & additur descriptio seu commendatio pignoris utriusq; deponendi pro uictoriæ præmio. Additur & electio iudicis cum admonitione de officio ueri iudicis. Contentioni præmittitur breuis inuitatio iudicis electi ad canendum quæ sumpta est à descriptione temporis.

Additur item modus, quem inter canendum seruare debent. Principium contentionis habet inuocationem. Deinde sequitur Catalogus carminum, quibus inter se contendunt pastores. Carmina Menalcæ habent quandam irrisionem omnium eorum, quæ dicuntur à Damæta, ita ut responsio Menalcæ omnino sit aut maior aut contraria. Concluditur contentio contrarijs ænigmatis. Vltimo loco ponitur sententia iudicis, qua dirimit & componit uniuersam contentionem.

ALIVD EIVSDEM.

PRincipio hic disces, cur Eclogæ nomen inditum sit his uersiculis, nempe, quod Ecloga cum alia cohæreat, Sed singulæ habeant singularia argumenta, Ideoq; Ecloga uocatur seperatum carmen. Prima Ecloga beneficia Augusti commemorat. Altera querelã continet Virgilij eò, quod negocia de re sua familiari occupanda subinde extrahantur. Tertia hæc copiæ & contentionum pastoralium exemplum est. Est autem exemplum contentionum inter Poëtas, qui mutuo se æmulantur. Apud Hesiodum est duplex æmulatio. Altera utilis mortalibus, perniciosa altera. Verba Hesiodi sunt, Aemulatur uicinum uicinus studiosum in re facienda. Hæc contentio bona est mortalibus, cum figulus figulum odit & artificem artifex & mendicus mendicum, Dulcisq; Poëta Poëtam. Et M. Cicero ad Atticum lib: 14. Epi. 21. Quare sine quæso quenq; sibi scribere. Suam cuiq; sponsam, mihi meam, suum

cuiq;

cuiq; amorem, mihi meum. Item, satis nemo unquam neq; Poëta, neq; orator fuit, qui quenquam meliorem quám se arbitraretur. Hoc etiam malis contigit. Exordium huius Eclogæ est plenum conuitiorum, quibus se mutuo ad cantandum prouocant. Principio quærit εἰρονικῶς, quid sit, ut habeant ridendi materiam. Ridet autem Menalcas Damætam tanquam mercenarium & furem, propter quod crimen & hodie male audiunt pastores ouium.

POLLIO.

ECLOGA IIII.

SI celides Musæ, paulò maiora canamus.
Non omnes arbusta iuuant, humilesq; myricæ.
Si canimus syluas, syluæ sint Consule dignæ.
Vltima Cumæi uenit iam carminis ætas:
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo:
Iam redit & Virgo. redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina: tuus iam regnat Apollo.
Teq; adeò decus hoc æui, te Consule inibit
Pollio: & incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris uestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.
Ille Deûm uitam accipiet, Diuisq; uidebit

Permistos Heroas, & ipse uidebitur illis:
Pacatumq; reget patrijs uirtutibus orbem.
At tibi prima puer nullo munuscula cultu
Errantes hederas paßim cum bacare tellus,
Mistaq; ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & serpens, & fallax herba ueneni
Occidet: Assyrium & uulgò nascetur amomum.
At simul Heroum laudes, & facta parentis
Iam legere, & quæ sit poteris cognoscere uirtus.
Molli paulatim flauescet campus arista,
Incultisq; rubens pendebit sentibus uua:
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscæ uestigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida: quæ iubeant telluri infindere sulcos:
Alter erit tum Tiphis, & altera quæ uehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella:
Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc ubi iam firmata uirum te fecerit ætas,
Cedet & ipse mari uector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non uinea falcem.
Robustus quoq; iam tauris iuga soluet arator:
Nec uarios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti
Murice,

Murice, iam croceo mutabit uellera luto.
Sponte sua sandyx pascentes uestiet agnos.
Talia secla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere ô magnos (aderit iam tempus) honores,
Chara Deûm soboles, magnum Iouis incrementum.
Aspice conuexo nutantem pondere mundum,
Terrasq́;, tractusq; maris, cœlumq́; profundum:
Aspice, uenturo lætentur ut omnia seclo.
O mihi tam longè maneat pars ultima uitæ,
Spiritus &, quantùm sat erit tua dicere facta:
Non me carminibus uincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamuis, atq; huic pater adsit:
Orphei Calliopeia, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice uictum.
Incipe parue puer risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe parue puer: cui non risere parentes,
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

ARGVMENTVM IN QVARTAM ECLOGAM.

EXTANT epistolæ Asinij ad Ciceronem eleganter scriptæ. Fuit autem præcipua eius authoritas apud Iulium & deinde apud Augustum, & quia doctrina excelluit, Virgilium, & alios

alios multos doctos uiros complexus est. Huic natus est & filius Pollio, qui postea etiam clarus Orator, & magnæ authoritatis sub Tiberio fuit, ac reliquit librum de collatione Ciceronis, & patris Asinij. Cum igitur Virgilius esset amicus patri Asinio, gratulatur ei natum filium Pollionem. Estq; hæc Ecloga generis Demonstratiui. Prædicat enim felicitatem temporum, & narrat filium Asinio natum esse fœlicißimis temporibus, cui multa prospera contingent, & significat fore, ut temporum fælicitas nouis bonis cumuletur nato tali Principe. Et ut oratio cresceret, Rhetorica amplificatione distribuit illa prospera in gradus ætatis. In fine addit apostrophen uel ad puerum, uel figurate ad Augustum. Principium narrationis de felicitate temporum pertinet ad Agustum. Repetit enim quædam uaticinia Sibyllæ, quæ de pulcherrimo statu Romanæ Monarchiæ prodita erant, Qui omnia imperia habuerunt aliqua uaticinia. Estq; propemodum tota Ecloga perpetua narratio.

ALIVD EIVSDEM IN eandem Eclogam.

MIRO artificio transtulit Poëta argumentum á Pollionis filio ad laudem temporum, seu imperij Augusti. Nam cum bæné præcatur puero nascenti, omen felicioris partus accipit ab eo, quod Augusti temporibus nasceretur, quo imperante plané rediret aureum quoddam seculum, cum eius authoritate, mode-

moderationeq; parta orbi pax esset, cum quiescerent à bellis undiq; omnia, florerent optimæ artes, esset honos ingenijs, plurimum possent, & apud principem & in repub: qui optimi erant. Porrò hanc seculi conditionem figura texit Poëta, ut decoro seruiret, rusticanis usus exemplis, laudibus, oratione, incrementa seculi aurei retulit ad incrementa ætatis pueri.

ALIVD EIVSDEM.

ARGVMENTVM Eclogæ quartæ hoc est. Sub Augusto Cæsare insignis fuit Orator Asinius Pollio in ducem Germanici exercitus propter singulares dotes electus. Is post triumphum ad Consulatum est euectus, quo tempore filium genuit, quem à captis Salonis Saloninum nominauit. Huius tanti uiri gratia et authoritate motus Virgilius Genethliacum, hoc est, carmen natalicium hac Ecloga decantat simul complexus Augusti, Pollionis & pueri Salonini laudationes. Cæterum ordo is est: Primo loco excusatio ponitur summa cum modestia grauitatis argumenti, quod sublimius est, q; permittat pastoralium sermonum simplicitas. Sequitur propositio, ultima Cumæi &c. Estq; hæc sententia, quod felicißima sub hoc puero sint uentura tempora. Propositio est figurata Poëtico, sed admodum grato ornamento de Sibyllæ oraculis. Addita est expositio specialis eorum, quæ Sibylla prædixerat. Ponitur & precatio cum descriptione certi temporis, quo futura sunt antea prædicta. Deinde po-

nitur integra descriptio carminis Genethliaci, quæ consumitur in enumeratione graduum ætatis, ut significet, quæ nam commoda unaquæq; ætas sit allatura. Primum describitur puericia, quæ est abundatura omni genere uoluptatum. Reliquæ duæ ætates, adolescentia & iuuentus, habent descriptionem multorum commodorum & magnæ tranquillitatis. Additur amplificatio á uoto. In fine (Incipe parue puer) est præcatio longioris uitæ & magnæ felicitatis.

ALIVD EIVSDEM.

VALDE memorabilis locus est in hac Ecloga de quatuor ætatibus, quæ ætates sicut sunt in singulis hominibus. Ita etiam rerum usus docet esse eas in mutationibus seculorum & temporum. Nam nullum fuit imperium tantum sub sole, quod non inuenerit hæc ætatum mala. Nam omnia imperia maxime Romanorum á paruis creuerunt initijs, donec sic exaltata & elata fuerint, mole ut laborent sua. Porró Poëta transtulit ætatum illarum rationem & ad tempora Augusti Cæsaris, & ad ætatem Salonimi filij Asinij Pollionis.

ALIVD EIVSDEM.

Asinius Pollio fuit proconsul tempore Virgilij in Hispanijs potens in Romana Repub: gratiosus apud Augustum, & fautor hominum doctorum. Huic natus est filius Saloninus, cuius natiuitas hic celebratur. Laudat autem Virgilius non tam ipsam natiuitatem

tiuitatem pueri, ſed magis illa tempora & illud imperium, quo ipſe natus erat, & per conſequens etiam laudat Cæſarem Auguſtum, qui tunc regnauit illo tempore, quo natus eſt Chriſtus, & fuerunt pacatiſsima tempora. Imitatus eſt 17. Idyllion Theocriti de Encomio Ptolomei Philadelphi.

ALIVD EIVSDEM.

HAEC Ecloga generis eſt Demonſtratiui. Cum enim Aſinius Pollio orator ualde eloquens apud Auguſtum potens eſſet, & cumprimis Poëtæ ingenium admiraretur & foueret, uoluit Virgilius in hac Ecloga Pollionis filio recens nato decantare Genethliacon, quo ei bene precetur. Continet autem expoſitionem & amplificationem fœlicitatis aurei ſeculi, quod iterum futurum Poëta uaticinatur ætate filij Pollionis. Porrò etiam multa tunc ad Auguſtum referenda ſunt, cuius ſubinde laudes commiſcet. Exordium habet propoſitionem cum inuocatione, in qua argumenti grauitatem excuſat, quod eo paulo ſublimiori hic uti coactus ſit, quàm permittat paſtoralium ſermonum ſimplicitas. Sequitur αἰτιολογία propoſitionis, Quia non omnes tenui genere orationis delectantur. Deinde res magnæ etiam ſplendidis uerbis deſcribendæ ſunt, ut obſeruetur decorum, quod Poëtis in perſonis laudandis cumprimis eſt obſeruandum.

DAPHNIS.

ECLOGA V.

MENALCAS, MOPSVS.

Inuitatio ad canendum.

Cvr non Mopse (boni quoniā conuenimus ambo,
Tu calamos inflare leuêis, ego dicere uersus)
Hîc corylis mistas inter consedimus ulmos?
Tu maior: tibi me est æquum parêre Menalca. Mo.
Siue sub incertas, Zephyris motantibus, umbras,
Siue antro potius succedimus, aspice ut antrum
Syluestris raris sparsit labrusca racemis.
Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas. Me.
Quid si idem certet Phœbum superare canendo? Mo.
Incipe Mopse prior, si quos aut Phyllidis ignes, Me.
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.
Incipe: pascentes seruabit Tityrus hœdos.
Imò hæc, in uiridi nuper quæ cortice fagi Mo.
Carmina descripsi, & modulans alterna notaui,
Experiar: tu deinde iubeto certet Amyntas.
Lenta salix quantum pallenti cedit oliuæ, Me.
Puniceis humilis quatùm saliunca rosetis:
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
Sed tu desine plura puer: successimus antro, Mo.

Luctus et dolor ex eorum priuatione.

Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant: uos coryli testes, & flumina Nymphis:
Cùm complexa sui corpus miserabile nati
Atq; deos, atq; astra uocat crudelia mater.

[illegible] commutationem.

Non ulli pastós illis egêre diebus
Frigida Daphni boues ad flumina: nulla neq; amnem
Libauit

Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesq́; feri, syluæq́; loquuntur.
Daphnis & Armenias curru subiungere tigres
Instituit: Daphnis thyasos inducere Baccho,
Et folijs lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut uitibus uuæ,
Vt gregibus tauri, segetes ut pinguibus aruis:
Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atq; ipse reliquit Apollo.
Grandia sæpe quibus mandauimus hordea sulcis,
Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.
Pro molli uiola, pro purpureo narcisso
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum folijs, inducite fontibus umbras
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis:
Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in syluis, hinc usq; ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.
Tale tuum carmen nobis diuine poëta, Me.
Quale sopor fessis in gramine: quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.
Nec calamis solùm æquiparas, sed uoce magistrum
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocunq; modo tibi nostra uicissim
Dicemus: Daphnimq́; tuum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus: amauit nos quoq́; Daphnis.
An quicquam nobis tali sit munere maius? Mo.

Et puer ipse fuit cantari dignus : & ista
Iampridem Stimicon laudauit carmina nobis.
Candidus insuetum miratur limen Olympi : Me.
Sub pedibusq; uidet nubes, & sydera Daphnis.
Ergo alacreis syluas, & cætera rura uoluptas,
Panaq;, Pastoresq; tenet, Dryadasq; puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia ceruis
Vlla dolum meditantur : amat bonus otia Daphnis.
Ipsi lætitia uoces ad sydera iactant
Intonsi montes: ipsæ iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta. Deus Deus ille Menalca.
Sis bonus ô fœlixq; tuis: en quatuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duoq; altaria Phœbo.
Pocula bina nouo spumantia lacte quotannis,
Craterasq; duos statuam tibi pinguis oliui :
Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho,
Ante focum, si frigus erit : si meßis, in umbra,
Vina nouum fundam calathis Aruisia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas, & Lictius Aegon :
Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt, & cùm solennia uota
Reddemus Nymphis, & cùm lustrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit,
Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.
Vt Baccho, Cererique, tibi sic uota quotannis
Agricolæ facient : damnabis tu quoq; uotis:
Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona? Mo.

Nam

[Handwritten marginal notes: "1° Consolatio á felicitate defuncti pastoris." — "Ab illis quae mors consecuta sint persona ornale."]

Nam neq; me tantùm uenientis sibilus Austri,
Nec percussa iuuant fluctu, tam littora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina ualles.
Hac te nos fragili donabimus antè cicuta. **Me.**
Hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexin:
Hæc eadem docuit, Cuium pecus, an Meliboei.
At tu sume pedum, quod, me cùm sæpe rogaret, **Mo.**
Non tulit Antigenes: & erat tum dignus amari:
Formosum paribus nodis, atq; ære Menalca.

ARGVMENTVM IN QVINTAM ECLOGAM.

ELEGANS *cumprimis est quinta Ecloga, cum quia lenium affectuum, quos* ἤθη *uocant, plena est propter colloquium pastorum amanter & familiariter se complectentium, tum etiam quod argumentum est perpetuum, & expolitum, multis egregijs luminibus ac figuris uerborum ac sententiarum. Deplorat autem Poëta sub Daphnidis persona mortem uel fratris, uel quod magis consentaneum est, Iulij Cæsaris. Dixi enim supra, quod sæpe Bucolicis figuris seria argumenta inuoluantur. Pertinet igitur hæc Ecloga partim ad genus Demonstratiuum, partim deliberatiuum. Finguntur enim hic duæ cantilenæ, quarum prior laudationem personæ Daphnidis continet. Est enim Epicedion. Altera gratulationem, quod sit receptus in numerum diuorum,*

& precationem, ut sit propicius. Principium Eclogæ est planè Dialogicum, ut sit occasio carminis. Postea sequuntur cantilenæ, in quarum priore Propositio est amplificata distributione, omnia uidelicet mœrere extincto Daphnide. PRIMVM argumentum ducitur à laude personæ, quæ sumitur à rebus gestis. Accedit rustica collatio, qua dignitatem personæ amplificat. SECVNDVM argumentum petitum est à consequentibus, seu utili, postquam Daphnidem amisimus, Dij etiam nos deseruisse uidentur, & omnia nunc infelicius proueniunt. Clauditur hæc pars Epitaphio. In altera cantilena exordium constat gratulatione, quæ explicatur etiam distributione, totum uidelicet mundum lætari Daphnide in Cælum sublato. Subijcitur precatio, Ergo sis propitius nobis, sis bonus, ô felixq; tuis &c. Adduntur rationes ab utili, quas exponit enumeratione earum rerum, quæ ad diuinum cultum pertinent. Ait enim se daturum lac, oleum, uinum, Item hymnis celebraturum. Postremo pollicetur perpetuum honorem.

ALIVD EIVSDEM.

QVINTA Ecloga continet duorum amicorum pastorum alternas laudationes, ex quibus deinde sumitur occasio scribendi Epitaphij seu Epicedij. Omnino autem allegoricè accipiendum est hoc Epitaphium, quo deflet obitum Daphnidis, Estq; citra omnem controuersiam intelligendus Iulius Cæsar, quem

crudeli funere interemptum hic dicit, & Armenias Tigres curru iunxisse, hoc est, instituisse sacra Bachi, decernuntur etiam illi diuini honores, Quæ omnia nulli uerius, quam Cæsari tribui possunt. Porrò orationis series totius Ecloga est. Principio ponitur amica, & uerecunda inuitatio ad canendum, quæ sumpta est à descriptione loci. Intersertum est inuitationi ἦθος, quo alter alterum sibi præfert, & superiorem existimat. Postea subijcitur integra descriptio Epicedij seu funebris orationis, quæ duabus constat partibus, querela scilicet & gratulatione. Principium Epicedij. (Extinctum Nymphæ) habet congeriem figuratam Poëticis figuris, quod multi fleuerunt propter extinctum Daphnidem, estq; hic totus locus quædam querela de morte Daphnidis. Additur commemoratio rerum gestarum, quod scilicet promouerit religionem. Item, quod omnia conseruauerit in tranquillo, quo uiuente nihil non fuerit felicißimum. In fine querelæ ponitur adhortatio ad iusta funebria persoluenda, & ut nunquam obliuiscantur Daphnidis. Altera pars Epicedij habet gratulationem felicitatis, quod ex tot impendentibus malis nunc ereptus sit in summo gaudio, ac securam agat inter deos quietem. Sequitur amplificatio felicitatis ab enumeratione multorum commodorum, quibus iam fruatur mortuus. Additur apostrophe, qua uotum Daphnidi tanquam Deo facit. Conclusio gratulationis habet clausulam figuratam collatione, qualis & supra fuit in prima Ecloga.

ecloga. In fine ponitur descriptio pastoralium dono-rum.

ALIVD EIVSDEM.

GENERIS est Demonstratiui. Defletur enim, qui Eclogæ status est, hic in Augusti gratiam sub Daphnidis persona C. Iulij à Bruto & Caßio cæsi miserabilis mors, quod carmen Cæsaris laudes continet. Sunt autem tres Eclogæ partes. PRIMA est exordium, quod continet occasionem Epicedij, in qua alter alterum ad canendum inuitat, nunc à personarum facultate, nunc ab opportunitate & amœnitate loci, & utitur egregijs Enthymematis, Ambo sumus periti Musici, Ergo canamus. Item, In tempore conuenimus ambo, Ergo studijs nostris dignum aliquid proferendum est. Item, Nunc est amænißimum tempus, Ergo fruamur ista amænitate temporis & loci. ALTERA pars est Mopsi Epicedion in Cæsaris mortem. TERTIA pars Eclogæ est ἀποθέωσις, qua gratulatur Poëta Daphnidi diuinitatem. Est enim Iulius Cæsar à populo Romano in numerum Deorum relatus, suntq; illi diuini decreti honores. Porrò tota Ecloga conscripta est ad imitationem primi Idyllij Theocriti. Alij sub Daphnide intelligendum putant Quintilium, de quo Horatius ait, Nulli flebilior, quã tibi Virgili. Alij uero Flaccum fratrem intelligunt, qui ante ætatem obijt. Primæ tamen sententiæ aßentiendum esse duco, ubi Iulius Cæsar sub Daphnide potius,

tius, quam quiuis alius intelligendus existimatur.

ALIVD EIVSDEM.

DAphnis Titulus est huic Eclogæ. Quia hic mors & interitus Daphnidis deploratur. Sumptum autem est nomen ex Theocrito, & significat Poëta per Daphnidem Iulium Cæsarem, qui cum paulo ante in Senatu esset interfectus, & cum eius nepos Augustus successisset, deplorat eius mortem. Continet autem hæc Ecloga duas partes. PRIOR pars est Epicedium, siue deploratio mortis. POSTERIOR habet descriptionem, quomodo inter Deos & in cœlum sit translatus.

ALIVD EIVSDEM.

HAEC Ecloga ad imitationem primi Idyllij Theocriti scripta est. Præterquam enim, quod continet pastoralem concertationem, pro more carminis Bucolici complectitur etiam grauissimam sententiam de moribus retinendam in toto genere uitæ. Nam in hac Ecloga quinta sunt occasiones à contentione duorum pastorum. Poëta deflet mortem Iulij Cæsaris à Cassio & Bruto uulneribus 24. in Senatu confossi. Nam quanquam occisores Iulij putassent eo interfecto Rempub: recuperare posse & pristinam libertatē. Tamē re ipsa experti sunt, nihil tam nocere Reipub: q̄ rerū mutationē, & iuxta prouerbiū, Nota mala

esse

esse tollerabiliora. Infinita enim bella ferè consecuta sunt cædem Cæsaris. Præterea Augustus ad imperium ubi peruenit, non tantum Iulio Cæsare factus est crudelior, adeo etiam ut M. Ciceronem, cuius consilijs atq; authoritate ad imperium ascenderat, passus sit proscribi, & misere occidi ab Antonio. Sed pro Iulio uere domino nacta est Respub. Romana seruum, hoc est, hominem seruili ingenio præditum, quemadmodum extat miserabilis querela Ciceronis ad Octauium. Verba Ciceronis sunt. Nam, ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, & nouißima conferam primis, quæ non posterior dies acerbior priore, & quæ non insequens hora antecedente calamitosior populo Romano illuxit? M. Antonius uir animi maximi (utinam etiam sapientis consilij fuisset) C. Cæsar fortißime, sed parum feliciter à Reipub: dominatione semoto, concupierat magis regium, quam libera ciuitas pati poterat, principatum &c. Quibus querelis non obscure significatur imperium Augusti fuisse intollerabilius multo, quam fuit regnũ Iulij Cæsaris.

SILENVS.

ECLOGA VI.

PRima Syracosio dignata est ludere uersu
Nostra, nec erubuit syluas habitare, Thalia.
Cum canerem reges, & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit: Pastorem, Tityre, pingues

Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.
Nunc ego (nanq; super tibi erunt, qui dicere laudes
Vare tuas cupiant, & tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine musam.
Non iniussa cano: si quis tamen hæc quoq;, si quis
Captus amore leget, te nostræ, Vare, Myricæ,
Te nemus omne canet: nec Phœbo gratior ulla est,
Quàm sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.
Pergite Pierides, Chromis & Mnasylus in antro
Silenum pueri somno uidere iacentem,
Inflatum hesterno uenas, ut semper, Iaccho.
Serta procul tantum capiti delapsa iacebant:
Et grauis attrita pendebat cantharus ansa,
Aggreßi (nam sæpe senex spe carminis ambos
Luserat) iniiciunt ipsis ex uincula sertis.
Addit se sociam, timidisq́; superuenit Aegle:
Aegle Naiadum pulcherrima: iamq́; uidenti
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.
Ille dolum ridens. Quò uincula nectitis? inquit.
Soluite me pueri: satis est potuisse uideri.
Carmina, quæ uultis, cognoscite: carmina uobis.
Huic aliud mercedis erit, simul incipit ipse.
Tum uerò in numerum Faunosq́; ferasq́; uideres
Ludere: tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnaßia rupes:
Nec tantum Rhodope miratur, & Ismarus Orphea:
Quantùm omnis mundus gaudet cantante Sileno.
Nanq; canebat, uti magnum per inane coacta

Semina terrarumq́;, animæq́; marisq́; fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreuerit orbis.
Tum durare solum, & discludere Nerea ponto
Cœperit. & rerum paulatim sumere formas.
Iamq; nouum ut terræ stupeant lucescere solem:
Altius atq; cadant summotis nubibus imbres.
Incipiant syluæ cum primùm surgere: cumq́;
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapides Pyrrhæ iactos, Saturnia regna,
Caucaseasq́; refert uolucres, furtumq́; Promethei.
His adiungit, Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamassent: ut littus Hyla Hyla omne sonaret.
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaen niuei solatur amore iuuenci.
Ah uirgo infelix, quæ te dementia cepit?
Prœtides implerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus: quamuis collo timuisset aratrum.
Et sæpe in læui quæsisset cornua fronte.
Ah uirgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille latus niueum molli fultus hyacintho
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas:
Aut aliquã in magno sequitur grege, claudite Nymphæ
Dictææ, Nymphæ nemorum iam claudite saltus:
Si quá forté ferant oculis sese obuia nostris
Errabunda bouis uestigia, forsitan illum
Aut herba captum uiridi, aut armenta secutum
Perducant

Perducant aliquæ stabula ad Gortynia uaccæ.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.
Tum Phaethontiadas musco circundat amaræ
Corticis: atq; solo proceras erigit alnos.
Tum canit errantem Permisi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una sororum:
Vtq; uiro Phœbi chorus assurrexit omnis:
Vt Linus hæc illi diuino carmine pastor
Floribus, atq; apio crines ornatus amaro
Dixerit: Hos tibi dant calamos (en accipe) Musæ,
Ascræo quos antè seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynæi nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus. quo se plus iactet Apollo.
Quid loquar aut Scyllã Nisi? quam fama secuta est,
Candida su cinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias uexasse rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?
Aut ut mutatos Terei narrauerit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit?
Quo cursu deserta petiuerit? & quibus antè
Infelix sua tecta super uolitauerit alis?
Omnia, quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audijt Eurotas, iussitq; ediscere lauros,
Ille canit: pulsæ referunt ad sydera ualles:
Cogere donec oues stabulis, numerumq; referre
Iussit, & inuito processit uesper Olympo.

ARGVMENTVM IN SEXTAM ECLOGAM.

SEXTA Ecloga non est Rhetorica, sed Historica plane. Continet enim quandam cantilenam Sileni, quæ habet uarias & fabulosas narrationes. Nulla igitur argumentatio est in hac Ecloga, ut in superioribus plærisq;, sed tantum historica rerum expositio. Est autem ædita in honorem Vari Quintilij, qui temporibus Augusti in Germania bella gerens ab Arminio Germanorum duce magna clade accepta sibi ipsi mortem consciuit. In exordio primum se purgat Varo per translationem, quod ideo ipsius res gestas carmine non celebret, Quia Apollo Bucolica potius scribi uoluerit. Deinde per reiectionem proponit se in Bucolicis tamen prædicaturum ipsius laudes. Postea commemorata occasione cantilenæ inchoat eam á creatione mundi, ubi recitat mundum, & uniuersam naturam extitisse casu ex atomis. Reliquæ fabulæ ex autore patent, quæ uel ad historias uel ad mores, aut communes uitæ casus referri possunt. Cæterum ferunt Ciceronem olim, cum forte interfuisset recitationi huius Eclogæ in Theatro, & animaduertisset eam nequaquam esse uulgaris ingenij, ita fuisse admiratum carminis elegantiam, ut de authore quæsierit & in suam & Poëte laudem dixit, Magnæ spes altera Romæ, quam uocem Virgilius postea ad Ascanium in Aeneide retulit.

ALIVD EIVSDEM.

Generis

GENERIS est Demonstratiui. Cæterum Ecloga in Vari gratiam, quem plurimum diligebat Virgilius, á Poëta conscripta est, cui deinde emendandorum Virgilij carminum ab Augusto cura demandata fuit. Porrò non est Bucolici argumenti. Nam principio rerum originem & causas describit, estq; hic locus totus Philosophicus. Deinde obiter uarias Græcas historias ac fabulas ordine recitat. Postremo laudat Gallum Poetam, cui tamen loco rursus quasdam subijcit fabulas. Putant autem hic describi Epicureorum sectam á Virgilio, quam ipse & Varus á Syrone quodam, quem hic Silenum fingit, didicerat. Chronim & Mnasylum esse Virgilium & Varum. Verum in exordio dicit se de Theocriti, quem imitetur, simplicitate recedere, & utitur excusatione rerum & temporum suorum, in quibus illa Theocritica simplicitas ubiq; obseruari non potuit.

ALIVD EIVSDEM.

MAXIME docent in hac tenui figura Poëmatum gestus familiares, quibus quasi ipsi nos interpellamus, & reprehendimus. Ideo Virgilius initio ait se scribentem Heroica interpellatum esse ab Apolline & reuocatum ad Bucolica. Est autem bellißima extenuatio, quod ait, Te nostræ Vare myricæ, Te nemus omne canit, cum confert suum Poema myricis, quæ sunt humiles & contemptæ. Ideo plus gratiæ est in collatione. Quia nimis magna est extenuatio, nec

Poëma mediocre tam uile ducendum, ut simile myricis dicatur, sed addita est correctio, Te nemus omne canit. Hi ludi decent in carmine, & addunt motum, & continent significationes cruditos, & in scribendo nobis danda est opera, ut similes gestus excogitemus. Tota autem Ecloga narratio est de capto Sileno, & de eius Philosophia seu sapientia, Aut risit Virgilius Philosophos, aut uoluit significare aliquam oportere Philosophiam esse, hoc est, doctrinam, quæ initia rerum & naturam consideret, & temporum seriem & uitæ officia monstret, sicut reipsa uerum est, generi humano semper talem aliquam doctrinam necessariam esse, & tunc non tantum Romæ, sed etiam in Græcia plurimi amplectebantur. Epicuri doctrinam, quod uidebatur, nimium habere subtilitatis aut difficultatis. Itaq; cum aliquid ex Philosophia recitaturus esset Poëta illam Epicuri doctrinam attribuit Sileno, qui fingitur fuisse iocosus senex Bacchi nutritor transformatus in Silenum. Etsi autem appellationes in illis uetustißimis fabulis & historijs sæpe casu oblitæ, postea late celebrantur, Tamen apparet nomen Sileni à torcularibus factum esse. Nam γινος est torcular & Silenus, aut significat idem, quod quaciens torcular, aut idem quod Deus torcularis. Sed in omnibus iocosis descriptionibus significat hominem uoluptati deditum, & tamen ingeniosum & facetum, ut sunt in aulis antiqui

parasiti, qui ingenijs antecellunt. Fit igitur totum Poêma festiuius translata narratione in talem personam, cuius in Poematibus crebra mentio est & laudatur festiuius. Quid igitur hic canit? PRIMVM narrat initium, sed Epicuri more, Dicit concurrisse partes & hoc pulcherrimo ordine unam machinam natam & distinctam, cœli, stellarum & elementorum, quæ sit uelut domicilium generis humani. Prodest autem cogitare aliqua rerum initia. Sed hic Silenus Epicurum sequens nihil de Deo opifice dicit, ab hoc ordiri eum oportebat. Sed uera doctrina petenda est ex alijs fontibus Hæc Poemata propter uerborum elegantiam leguntur, & prodest collatio opinionum Philosophicarum cum uera doctrina. Postquam autem recitauit primordia corporum mundi, instituit recitationem ueterum historiarum. Nam homini sano necessario est hæc cognitio, scire seriem temporum mundi, religionum origines, exordia & mutationes imperiorum. Ideo literæ diuinitus traditæ sunt, Ideo uult Deus nos uersari in studijs, præcipue, ut hæc discamus. Et extat tota series temporum mundi mirabili Dei consilio conseruata, in Poematis uestigia sunt. Nam Poetæ famam diluuij retinuerunt, quod circiter mille annos antecessit bellum Troianum, manet in Poematis nomen Iapeti, quem certũ est

fuisse filium Noe, & utile est uidere aliquem consen-
sum Poematum cum uera antiquitate. Deinde omissa longi temporis descriptione ueniunt ad res Herculis, quæ paulo uetustiores sunt bello Troiano, quod fuit circa tempora Dauidis. Quæramus igitur ueram seriem historiarum ex alijs scriptis, quæ quidem de multis maximis rebus homines docet. Hos uero ludos Virgilij legamus uel uerborum causa, uel ceu inchoatum aliquod opus non absolutum. In fine Eclogæ abrumpens tam alte repetitam mundi historiam addit laudes amici sui & conterranei Cornelij Galli, per quem initio commendatus est Augusto. Hæc est Eclogæ summa, quæ præcipue lectores admoneat, etsi persona leuior Silenus introducitur ad deridendos Philosophos, tamen uere se ita rem habere, necessariam esse doctrinam de rerum initijs, & de serie historiarum.

ALIVD EIVSDEM.

SEXTA Ecloga Varum celebrat. Is quia fuit Epicurus, Poëta non inuenuste expreßit proprijssimis figuris Epicureorum sectam. Describit enim Silenum nutricium & Pædagogum Bacchi perpetuo esse ebrium & temulentum Deum, qui sit quasi uoluptatis potandi quoddam symbolum. Adiungit etiam duos Satyros, quos fingit admodum salaces, cum formosa & lasciua Nympha, ita ut ferè omnia in quandam summam collegerit, quæ efficiunt uoluptatem summum Epicureorum bonum. In altera parte subijcit sententi-

am eorundem de mundi origine. Porrò series orationis est. Primo loco ponitur confeßio cum occulta quadam excusatione, se nonnihil recedere à simplicitate illa Theocriti, quam ubiq; propter alias atq; alias occasiones seruare non poßit. Sequitur propositio per apostrophen, Nequeo præterire in Bucolico meo carmine nomen Vari. Deinde est adhortatio ad Musas, ut historiam de Sileno ordine suggerant. Subiungitur longa descriptio per Hypotyposin personæ Sileni & facti duorum Satyrorum & Nymphæ, unde sumit postea occasionem recitandi cantilenam. Est & commendatio addita carminis Sileni per amplificationem.

ALIVD EIVSDEM.

HABET hæc Ecloga præter reliquos locos, quos ordine tractabimus, memorabile illud carmen de prima facie. Deinde de exquisita forma, atq; pulcherrima dispositione rerum omnium, quæ sunt sub cœlo. Apparet autem uel Augustum uel Mecænatem uehementer hoc carmine delectatum fuisse. Ait enim Poeta, non iniussa cano. Porrò uidetur Virgilius hoc Prologo præfatum esse in totum carmen Bucolicum, unde fuerunt, qui uoluerunt hanc Eclogam primam esse. Exponit enim suum consilium, cur scribat Bucolica, omißis & regibus, & præclaris rerum facinoribus.

MELIBOEVS.

ECLOGA VII.

MELIBOEVS
CORYDON, THYRSIS.

Forté sub arguta consederat ilice Daphnis,
Cōpulerantq; greges Corydō, & Thyrsis in unū:
Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas:
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo á frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerrauerat: atq; ego Daphnim
Aspicio: ille ubi me contrá uidet, ocyus, inquit,
Huc ades ô Melibœe (caper tibi saluus, & hœdi)
Et si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum uenient per prata iuuenci:
Hic uiridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eq; sacra resonant examina quercu.
Quid facerē? neq; ego Alcippem, nec Phyllida habebā,
Depulsos á lacte domi quæ clauderet agnos:
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere uersibus ambo
Cœpere: alternos Musæ meminisse uolebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.
Nymphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmē, C.
Quale meo Codro, concedite: (proxima Phœbi
Versibus ille facit) aut si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
Pastores hedera crescentem ornate poetam Th.
Arcades, inuidia rumpantur ut ilia Codro.

Aut

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne uati noceat mala lingua futuro.
Setosi caput hoc apri tibi Delia paruus, Co.
Et ramosa Mycon uiuacis cornua cerui.
Si proprium hoc fuerit, læui de marmore tota
Puniceo stabis suras euincta cothurno.
Sinum lactis, & hæc te liba Priape quotannis Th.
Expectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.
Nerine Galathea, thymo mihi dulcior Hyble, Co.
Candidior cygnis, hedera formosior alba:
Cùm primum pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, uenito.
Imò ego Sardois uidear tibi amarior herbis, Th.
Horridior rusco, proiecta uilior alga,
Si mihi non hæc lux toto iam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuuenci.
Muscosi fontes, & somno mollior herba, Co.
Et quæ uos rara uiridis tegit arbutus umbra,
Solstitium pecori defendite: iam uenit æstas
Torrida, iam læto turgent in palmite gemmæ.
Hic focus, & tedæ pingues, hic plurimus ignis Th.
Semper, & aßidua postes fuligine nigri.
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantùm
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
Stant & iuniperi, & castaneæ hirsutæ: Co.
Strata iacent paßim sua quæq; sub arbore poma.

Omnia

Omnia nunc rident: at si formosus Alexis
Montibus his abeat, uideas & flumina sicca.
Aret ager: uitio moriens sitit aeris herba: Th.
Liber pampineas inuidit collibus umbras,
Phyllidis aduentu nostræ nemus omne uirebit:
Iuppiter & læto descendet plurimus imbri.
Populus Alcidæ gratißima, uitis Iaccho, Co.
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.
Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus uincet corylos, nec laurea Phœbi.
Fraxinus in syluis pulcherrima, pinus in hortis, Th.
Populus in fluuijs, abies in montibus altis:
Sæpius at si me Lycida formose reuisas,
Fraxinus in syluis cedet tibi, pinus in hortis.
Hæc memini, & uictũ frustra cõtendere Thyrsim: M.
Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis.

ARGVMENTVM IN SEPTIMAM ECLOGAM.

SEPTIMA Ecloga quandam habet similitudinem cum tertia. Non enim constat uno aliquo perpetuo argumento, sed ludunt pastores uarijs sententijs certantes de laude ingenij, & hæ uariæ sententiæ sunt aut laudationes certorum hominum, aut figuratæ & uenustæ reprehensiones, aut descriptiones commodorum, locorum, item tempestatum, quæ sunt egregia lumina orationis. Possumus autem ad nostrum usum in-

primis

primis multa ex tam uarijs sententijs transferre, cũ ipsi aut laudamus eruditos, aut deridemus ineptos, aut inuidos, ut hic deridentur, cum ait, Inuidia rumpantur ut ilia Codro. Magnam autem gratiam habent hæ salsæ figuræ. Est & bella descriptio superbe contemnentis, ut si dicam, Improbi tantum curant leges & religionem, quantum numerum lupus, aut torrentia flumina ripas. Vtraq; similitudo est aptißima, Mali perrumpunt leges, sicut flumina intumescentia extra ripas erumpunt. Indocti & cupidi nihilo pluris faciunt ordinem & leges, quàm lupus numerum ouium. Hoc modo accommodare discamus has figuras. Hæc diligentia & iudicium format & alit copiam orationis.

ALIVD EIVSDEM.

HAEC *Ecloga generis est Iudicialis. Certant enim duo inter se carminibus de uictoria pastores. Videtur autem hic Poeta æmulos suos exagitare uoluisse, cum Corydonem uincere fingit. Est autem copiæ exemplum, consistitq; tota Ecloga in perpetua antithesi quadam. Principium sumptum est ex VI. Idyllio Theocriti. Per Corydonem sine dubio intelligit Virgilium. Per Thyrsim uero æmulum quendam, Meuium uel Anserum, de quo postea loquetur.*

ALIVD EIVSDEM.

CONTINET *septima Ecloga certamen pastorum, quo uidetur Poeta uoluisse exagitare suum æmulum, cum se Corydonem, illum Thyrsin fingat.*

gat. Porrò hic obseruandæ sunt crebræ antitheses, quæ plurimum habent momenti ad orationis copiam. Ordo Eclogæ est. Principio ponitur comparatio pastorum sumpta ab ætate, natione, & arte. Additur sermocinatio cum inuitatione & deliberatione. Deinde sequitur integra descriptio propositi certaminis. Postremo loco est breuis peroratio, qua tribuit uictoriam in cantando Corydoni.

ALIVD EIVSDEM.

SATIS apparet Poetam, quanquam sit imitatus sextum Idyllion Theocriti, hoc agere, ut exhibito magnifico exemplo copiæ, id quod etiam facit Ecloga tertia, significet se esse illum Corydona, qui Ecloga secunda questus est, se nullo loco esse, imò contemni ab Alexi. hoc est, Augusto Cæsare. Hunc uero iudicari à Daphni, quo Augustum uult significari, ut sit omnium Poetarum sui seculi optimus. Atq; hoc est, quod dicit ad finem, Hæc memini & uictum frustra contendere Thyrsin.

ALIVD EIVSDEM.

PASTORES hedera crescentem ornate Poetam. Hic Versiculus præcipuus est in hac Ecloga, quo significat uel seipsum, uel amicum aliquem non contemnendum esse præ æmulo, quisquis fuit. Nam tota Ecloga certamen continet duorum penè æqualium, quorum alteri tamen magis fauet. Tales ludi aliquot sunt in his Eclogis apud Theocritum, in quibus

arro-

arrogantia aliquorum uel exagitatur uel reprimitur, & uti horum uersuum exemplis possumus, siquando de certaminibus literatorum iudicandum est, ut supra in Eclog. 3. Qui Bauium non odit &c. Id conueniet dici applaudenti scriptis Doleti. Hic tamen confert duos plus ingenijs ualentes, inter quos tamen antecellit Corydon, ac prouerbij uice poterit extrema clausula usurpari, Hæc memini & uictum &c. ut si de contentione Longolij & Erasmi dicas, iure anteponere Erasmi dicas, iure anteponere Erasmum poßis. Imitatus autem est Theocriti Idyllium sextum, & quædam decerpsit ex alijs. Has igitur utilitates continet hæc Ecloga, Monet, ut de ingenijs candide iudicetur, & suppeditat figuras, quibus arrogantia irridetur. Postremo & multas arborum & herbarum appellationes continet, quas scire multum prodest.

ex alijs 17. 89. Idyl: Theocriti

PHARMACEVTRIA.

ECLOGA VIII.

DAMON, ALPHESIBOEVS.

PAstorum musam Damonis, & Alphesibœi,
Immemor herbarum quos est mirata iuuenca
Certanteis, quorum stupefactæ carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus:
Damonis musam dicemus, & Alphesibœi.
Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timaui,
Siue oram Illyrici legis æquoris, en erit unquam

Ille

Ille dies, mihi cùm liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium: tibi desinet, accipe iußis
Carmina cœpta tuis: atq; hanc sine tempora circum
Inter uictrices hederam tibi serpere lauros.
Frigida uix cœlo noctis decesserat umbra,
Cúm ros in tenera pecori gratißimus herba est:
Incumbens tereti Damon sic cœpit oliuæ.
Nascere, præq; diem ueniens age Lucifer almum: DA.
Coniugis indigno Nisæ deceptus amore
Dum queror, & diuos, quanquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uersus.
Mænalus argutumq; nemus: pinosq́; loquentes
Semper habet, semper pastorum ille audit amores,
Panaq́;, qui primus calamos non passus inertes.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uersus.
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Iungentur iam gryphes equis: æuoq́; sequenti
Cum canibus timidi uenient ad pocula damæ.
Mopse nouas incide faces: tibi ducitur uxor.
Sparge marite nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uersus.
O digno coniuncta uiro, dum despicis omneis,
Dumq́; tibi est odio mea fistula, dumq́; capellæ,
Hirsutumq́; supercilium, prolixaq́; barba:
Nec curare deum credis mortalia quenquam.

Incipe

Incipe Mænalios mecum mea tibia uersus.
Sepibus in nostris paruam te roscida mala
(Dux ego uester eram) uidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me iam ceperat annus:
Iam fragiles poteram à terra contingere ramos:
Vt uidi, ut perij, ut me malus abstulit error!
Incipe Mænalios mecum mea tibia uersus.
Nunc scio quid sit Amor: duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uersus.
Sæuus Amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoq; mater:
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer: crudelis tu quoq; mater.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uersus.
Nunc & oues ultro fugiat lupus: aurea duræ
Mala ferant quercus: narcisso floreat alnus:
Pinguia corticibus sudent electra myricæ:
Certent & cygnis ululæ: sit Tityrus Orpheus:
Orpheus in syluis, inter Delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uersus.
Omnia uel medium fiant mare: uiuite syluæ.
Præceps aerij specula de montis in undas
Deferar: extremum hoc munus morientis habetò.
Desine Mænalios, iam desine tibia uersus.
Hæc Damon: uos, quæ responderit Alphesibœus,
Dicite Pierides: non omnia possumus omnes.

Effer aquam,& molli cinge hæc altaria uitta, Al.
Verbenasq; adole pingues,& mascula tura:
Coniugis ut magicis sanos auertere sacris
Experiar sensus, nihil hic, nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum mea carmina,ducite Daphnin.
Carmina uel cœlo possunt deducere Lunam:
Carminibus Circe socios mutauit Vlyssêi:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin.
Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore
Licia circundo, terq; hæc altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum mea carmina,ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos Amarylli colores:
Necte Amarylli modò.& Veneris,dic, uincula necto.
Ducite ab urbe domum mea carmina.ducite Daphnin.
Limus ut hic durescit,& hæc ut cera liquescit
Vno eodemq; igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurū.
Ducite ab urbe domum mea carmina,ducite Daphnin.
Talis amor Daphnin, qualis, cúm fessa iuuncum
Per nemora,atq; altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ riuum uiridi procumbit in ulna
Perdita: nec seræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum mea carmina,ducite Daphnin.
Has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit,

Pignora

Pignora chara sui: quæ nunc ego limine in ipso
Terra tibi mando: debent hæc pignora Daphnin.
Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin.
Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta uenena,
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulcris,
Atque satas aliò uidi traducere messes.
Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin.
Fer cineres Amarylli foras: riuoq; fluenti,
Transq; caput iace, ne respexeris: his ego Daphnin
Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin.
Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit.
Nescio quid certè est Hylax in limine latrat.
Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe uenit, iam parcite carmina, Daphnis.

ARGVMENTVM IN OCTAVAM ECLOGAM.

ECLOGA octaua continet duo diuersa argumenta nihil cohærentia, quorum prius tamen habet Rhetoricas figuras, & est querela pastoris de puella alteri collocata, cum ipse eam deperiret. Estq; eleganter uariata querela figuris. Prima uocatur ἀπροσδόκητον, hoc est, insperatum,

Nihil minus sperandum fuit, quã ut ille cuculus potiretur hac puella. Id insperatũ describit his similibus, Cum canibus timidi uenient ad pocula Damæ. Deinde sequitur insultatio, ò digno coniuncta uiro, dum despicis omnes. Tertio amplificatio, quàm diu amauerit. Huic addit generale Epiphonema, describens quam uehemens affectus sit amor, & quantos cruciatus animo adferat, Nunc scio quid sit amor duris in cotibus illum. Hic locus est in hac Ecloga præcipuus de uehementia & sæuitia amoris. Quarto imprecatio est furentis, ut tota rerum natura mutetur, omnia uel medium fiant mare. Sicut in magnis doloribus homines & sibi & alijs interitum optant, sicut ait Xerxes apud Herodotum, Multa accidere homini, ubi malit non esse, quàm esse. Tandem uelut furens loquitur de abrumpenda uita. Itaq; prior pars Eclogæ proponit exempla Rhetorica amplificationum in querelis. Licebit enim usurpare ad hunc modum insperata, insultationes, generales sententias de quolibet affectu. Vt autem omnes homines adhibent Musicam in magnis affectibus uel ciendis uel leniendis, sicut habemus in Germanicis cantilenis, quibus odia, amores, querelas complectimur, Ita ueteres in uersibus digerebant affectus. Et propter hanc causam etiam assuefaciendi sunt adolescentes ad Poeticen, ut lectione Poematum affectus leniant. Item, ut ipsi interdum poßint affectus suos carmine complecti, lenire amores, insectari hostes. Hæc in loco magnam habent laudem & utilitatem.

Ita Theocritus orditur quandam Eclogam, Nil, præter Musas, insanum lenit amorem. Et Virgilius hoc loco describens sæuitiam amoris dehortatur homines, & hæc ipsa accusatio mitigat furorem, sicut querelæ solent paulatim minuere effusum dolorem, sicut Ouidius ait in 4. libro de Tristibus, Expletur lachrymis, egeriturq; dolor. SECVNDA pars est tantum narratio recitans incantationem, quam sumpsit Poeta ex Theocrito, ut stylum exerceret, uel ut derideret magicas artes, quas hic significat inanes esse. Habet in fine memorabile dictum, credimus an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.

ALIVD EIVSDEM.

DVplici argumento constat hæc Ecloga. Prima pars habet querelã amantis contempti ab uxore, á qua mutuum amorem certo sperauerat. Altera pars continet descriptionem insignem magici carminis, quo mulier animum uiri in sui amorem allicere studet. Series orationis hæc est. Primo loco ponitur propositio, Huic subiuncta est inuocatio per apostrophen ad Augustum, & figurata est inuocatio uoto, optans, ut liceat aliquando Cæsaris res gestas carmine describere, Iam cum aliud non possit, grato interim animo Bucolicum hoc carmen accipere uelit. Querela incipit á descriptione matutini temporis. Deinde additur uehemens πάθος cum propositione, cuius hæc summa, Ego conquerar, quomodo exciderim uxore.

Sequitur circumstantia loci, Credo hoc fatale esse huic loco, ut semper de infelici amore hic querantur pastores. Addita est amplificatio ab absurdo cum ironia & insultatione. Postea subiungitur narratiuncula sui amoris à descriptione ætatis, quam amplificat loco communi de amore, atq; hic locus tanquam præcipuus Poeticis figuris, & argumento ab effectu amoris mirabiliter est ornatus. Epilogi uice ponuntur imprecationes cum descriptione amatoris, qui desperatione adactus uitam suam finire cogitat.

ALIVD EIVSDEM.

HAEC Ecloga duplex continet argumentum sumptum ex imitatione Theocriti. PRIMVS locus habet conquestionem, siue querelam amantis, eò quod ab amico contemptus sit, simile quiddam est in Eunucho Terentij. SECVNDVS locus habet studium mulieris cuiusdam, Veneficijs & incantationibus conantis animum uiri sui peruertere.

ALIVD EIVSDEM.

Querela est perpetua quædam hæc Ecloga amantium suam uicem deplorantium. Alter queritur ab amica alium deformem pastorem sibi prælatum. Porrò introducitur & saga quædam, quæ ueneficijs & carminibus uirum domum reuocare coatur. Nomen est autem Eclogæ φαρμακεύτρια, hoc est, uenefica, eò quod primas habet partes in Ecloga hæc incantatrix. φαρμακεύω, hoc est, incanto, Veneno inficio.

φαρ-

φαρμακεῖς, hoc est, incantatores, & qui sic conuinciuntur, φαρμακευθέντες sunt ipsis Græcis.

ALIVD EIVSDEM.

HAEC Ecloga inprimis obseruanda est cum propter affectus, qui frequentes in hac sunt, tum etiam propter Pharmaceutriam, quæ pars nigromantiæ est. Habet enim prior pars huius Eclogæ conquestionem amatoris decepti posterior ueneficia, quibus mulier quæpiam mentem amatoris peruertit, & habet mirabiles amantium affectus, Estq; hæc pars Theocriti.

MOERIS.

ECLOGA IX.

LYCIDAS, MOERIS.

QVò te Mœri pedes? an, quò uia ducit, in urbem?
O Lycida, uiui peruenimus, aduena nostri, Moe.
(Quod nunquam ueriti sumus) ut possessor agelli
Diceret: Hæc mea sunt, ueteres migrate coloni.
Nunc uicti, tristes (quoniam sors omnia uersat)
Hos illi (quod nec bene uertat) mittimus hœdos.
Certè equidem audieram, quà se subducere colles Ly.
Incipiunt, molliq; iugum demittere cliuo,
Vsq; ad aquam, & ueteris iam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus uestrum seruasse Menalcam.
Audieras, & fama fuit: sed carmina tantum Moe.
Nostra ualent, Lycida, tela inter Martia, quantum

Chaonias dicunt aquila ueniente columbas.
Quòd nisi me quacunq; nouas incidere lites
Antè sinistra caua monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec uiueret ipse Menalcas.
Heu cadit in quenquã tantum scelus? heu tua nobis Ly.
Penè simul tecum solatia rapta Menalca?
Quis caneret nymphas? quis humũ florentibus herbis
Spargeret? aut uiridi fontes induceret umbra?
Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cùm te ad delicias ferres Amaryllida nostras?
Tityre, dum redeo, (breuis est uia) pasce capellas:
Et potum pastas age Tityre: & inter agendum
Occursare capro (cornu ferit ille) caueto.
Imò hæc, quæ Varo necdum perfecta canebat. Moe.
Vare tuum nomen (superet modò Mantua nobis:
Mantua uæ miseræ nimium uicina Cremonæ)
Cantantes sublimè ferent ad sydera cygni.
Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos: Ly.
Sic cytiso pastæ distentent ubera uaccæ:
Incipe si quid habes: & me fecêre poetam
Pierides: sunt & mihi carmina: me quoq; dicunt
Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Nam neq; adhuc Varo uideor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.
Id qdẽ ago, & tacitus, Lycida, mecũ ipse uoluto, Moe.
Si ualeam meminisse: neq; est ignobile carmen.
Huc ades ô Galatea: quis est nam ludus in undis?
Hic uer purpureum: uarios hic flumina circum

Fundit humus flores: hic candida populus antro
Imminet: & lentæ texunt umbracula uites.
Huc ades: insani feriant sine littora fluctus.
Quid, quæ te pura solum sub nocte canentem Ly.
Audieram? numeros memini, si uerba tenerem.
Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus? Moe.
Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum:
Astrum, quo segetes gauderent frugibus: & quo
Duceret apricis in collibus uua colorem.
Insere Daphni pyros: carpent tua poma nepotes.
Omnia fert ætas, animum quoq;, sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina: uox quoq; Mœrim
Iam fugit ipsa, lupi Mœrim uidêre priores.
Sed tamen ista satis, referet tibi sæpe Menalcas.
Causando nostros in longum ducis amores. Ly.
Et nunc omne tibi stratum silet æquor: & omnes
(Aspice) uentosi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeò media est nobis uia: nanq; sepulcrum
Incipit apparere Bianoris: hîc, ubi densas
Agricolæ stringunt frondes, hîc Mœri canamus:
Hîc hœdos depone: tamen ueniemus in urbem.
Aut si nox pluuiam ne colligat antè ueremur,
Cantantes licet usq; (minus uia lædet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce leuabo.
Desine plura puer: & quod nunc instat agamus. Moe.
Carmina tunc melius, cùm uenerit ipse, canemus.

ARGVMENTVM IN NONAM ECLOGAM.

VENVSTA Ecloga est uariata querelis, Votis & gratulatione. Dicitur enim scripta hac occasione, quod Centurio quidam conatus fuerat expellere Virgilium ex prædio, quod Augustus Virgilio restituerat. Ideo pastor initio deplorat calamitates, quæ existunt ex bellis ciuilibus. Habet autem locos communes insignes aliquot. PRIMVS est, quàm sit calamitosa res bellum ciuile. SECVNDVS de inconstantia humanarum rerum. TERTIVS, quod præcipue studia, leges, & artes pacis in bellis ciuilibus extinguantur. Primum igitur breui dicto & sarcasmo describit usitatas in ciuilibus discordijs expulsiones ciuium ex paternis bonis, sicut nunc quoq; paßim proscribuntur & expelluntur ciues propter religionem. Magnam autem emphasin habet illa figura sarcasmus, Hæc mea sunt, ueteres migrate coloni, Significat enim hic gestus superbe insultantem uictorem Victis. SECVNDVS locus, quod Respub. habeant, fatales uicißitudines & pœnas. Ideo ait, Nunc uicti tristes, quoniam sors omnia uersat. TERTIVS locus quem tribuit alteri pastori, quod bella ciuilia maxime noceant literis, disciplinæ, legibus, & similibus pacis artibus, & efficiant barbariem ac uastitatem, Ideo dicit, sed carmina tantum Nostra ualent Lycida tela inter Martia, quantum Chaonias dicunt aquila ueniente columbas, sicut Ennius ait, pellitur è medio sapientia, ui geritur res. Et illud, silent leges inter arma. Et Ouidius,

dius, Victaq; pugnaci iura sub ense latent, sicut nec Pompeius, nec Cæsar leges aut consilia bonorum, ut Ciceronis & aliorum, audiebant. Hi loci communes sunt obseruandi. Quia monent lectorem de magnis rebus, de fugiendis & cauendis bellis & discordijs ciuilibus. Deinde addit querelam, si miles interfecisset Virgilium, perijssent multa Poemata. Estq; amplificatio damni á consequentibus. Postea ludunt & prouocant se ad mutuum certamen. Alter uenusta excusatione utitur alludens ad locum communem de ingrauescente ætate, omnia fert ætas animum quoq;, hoc est, senectus languefacit omnes uires. Est autem in fine gratulatio, qua significat iam Victore Augusto Rempub. iterum pacatam fore, & sunt uenustæ descriptiones, significantes pacis artes reflorescere, Insere Daphni pyros, carpent tua poma nepotes. Figurate etiam Poeta studia literarum antefert aulicæ uitæ, cum ait, Hic Ver purpureum, Huc ades insani feriant sine littora fluctus, hoc est, quietam uitam in studijs anteponito turbulentis negocijs publicis. Hos locos communes diligenter considerent, & meminisse studeant adolescentes. Quia nos in dicendo & in scribendo sæpe eis cum magna laude uti possumus. Nam talia dicta uenuste accommodata multum gratiæ orationi addunt.

ALIVD EIVSDEM.

MVLTVM hæc Ecloga habet uenustatis & elegantiæ cum propter querelas, quod ueterum colonorum Vicem deplorat hic Mœris, qui agris & possessio-

possessionibus suis á Veteranis, quibus illi aßignati erant, expellebantur, Tum propter carminum illorum, quæ alteri pastori recitat Mæris, suauitatem & simplicitatem. Nam in hac Ecloga accuratißime Bucolici argumenti decorum seruasse uidetur Poeta. Fingitur autem Mæris Arrio Centurioni, cui Virgilij agri euenerant, é rure hœdos quosdam muneris uice Mantuam afferre. Est uero Virgilij Villicus Mæris, & Menalcas ipse Virgilius. Cæterum generis Demonstratiui est oratio. Plæraq; autem hic ex Theocriti Poëmate translata esse apparet.

ALIVD EIVSDEM.

IN priore parte huius Eclogæ describitur ingens periculum Virgilij ab Arrio Centurione, á quo penè fuisset interfectus propter repetitionem agrorū, quos in publico metu amiserat, nisi saluti ei fuisset Mincij amnis propinquitas. Deinde sumpta occasione ex mentione, quæ fit de Virgilio, aliquot epigrammata uenusta ordine recitantur. Series orationis hæc est. Primo loco post interrogationem ponitur querela de præsenti rerum statu, quod pulsus sit prædijs suis Virgilius. Interseritur argumentum á rumore continens descriptionem ruris Virgiliani. Sequitur amplificatio periculi ab augurio. Addita est & exclamatio per apostrophen, cum enumeratione incommodorum, quæ secutura erant Virgilij mortem. Deinde ponitur cunctatio cum recitatione quorundam epigrammatum.

Vltimo

Vltimo loco est excusatio per præcisionem, quare non posit plura recitare epigrammata, quæ ducta est á descriptione senectutis, cui additur noua inuitatio ab opportunitate temporis.

ALIVD EIVSDEM.

TOTA *hæc Ecloga habet grauißimam querelam fortunarum Virgilij. Nam postquam iterum impetrasset suos agros ab Augusto Virgilius, profectus ad poßidendos eos, ferè ab Arrio Centurione interfectus est. Eum hic studet donis placare. Fit enim sæpe, ut dominis atq; principibus fauentibus aliquid impetremus, quod uix liceat nobis sine periculo propter prouincialium malitiam auferre. Mæris est Virgilij pater. Menalcas ipse Virgilius. Lycidæ persona adiecta est, ut res sparsa in personas, facilius posit amplificari. Nam euentus solet suppeditare materiam amplificationibus. Est autem hæc Ecloga eiusdem argumenti cum tertia.*

ALIVD EIVSDEM.

NOMEN *habet hæc Ecloga á persona, quæ hic introducitur. Continet autem querelam, quod rursus eiectus sit Virgilius ex agris, quos beneficio Augusti recuperauerat. Cum enim recipere uellet paternos agros, inuenit Arrium quendam Centurionem illos habere. Is statim ut miles ad gladium manum admouit, & parum abfuit, quin interfecisset Virgilium, nisi se proripuisset in fugam.*

Gallus

GALLVS.

ECLOGA X.

EXtremum hunc Arethusa mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris:
Carmina sunt dicenda, neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, cùm fluctus subter labêre Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipe: sollicitos Galli dicamus amores:
Dum tenera attondent simæ uirgulta capellæ.
Non canimus surdis: respondent omnia syluæ.
Quæ nemora, aut qui uos saltus habuere puellæ
Naiades, indigno cùm Gallus amore periret?
Nam neq; Parnaßi uobis iuga, nam neq; Pindi
Vlla moram fecere, neq; Aoniæ Aganippæ.
Illum etiam lauri, illum etiam fleuere myricæ?
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Mænalus, & gelidi fleuerunt saxa Lycæi.
Stant & oues circùm: nostri nec pœnitet illas:
Nec te pœniteat pecoris diuine poëta:
Et formosus oues ad flumina pauit Adonis.
Venit & upilio: tardi uenêre bubulci:
Vuidus hyberna uenit de glande Menalcas.
Omnes, unde amor iste, rogant: tibi uenit Apollo:
Galle quid insanis? inquit: tua cura Lycoris
Perq; niues alium, perq; horrida castra secuta est.
Venit & agresti capitis Syluanus honore,
Florentes ferulas, & grandia lilia quassans.
Pan Deus Arcadiæ uenit: quem uidimus ipsi

Sangui-

Sanguineis ebuli baccis, minioq; rubentem:
Et quis erit modus? inquit: amor non talia curat.
Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina riuis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellæ.
Tristis at ille tamen: Cantabitis Arcades, inquit,
Montibus hæc uestris: soli cantare periti
Arcades, ô mihi tum quàm molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores.
Atq; utinam ex uobis unus, uestriq; fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ uinitor uuæ.
Certè siue mihi Phyllis, siue esset Amyntas,
Seu quicunq; furor (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigræ uiolæ sunt, & uacinia nigra)
Mecum inter salices lenta sub uite iaceret.
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes: hic mollia prata Lycori:
Hic nemus: hic ipso tecum consumerer æuo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis,
Tela inter media, atq; aduersos detinet hostes.
Tu procul à patria (nec sit mihi credere) tantùm
Alpinas ah dura niues, & frigora Rheni
Me sine sola uides, ah te ne frigora lædant:
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.
Ibo, & Chalcidico quæ sunt mihi condita uersu
Carmina, pastoris Siculi modulabor auena.
Certum est in syluis, inter spelæa ferarum
Malle pati, tenerisq; meos incidere amores
Arboribus: crescent illæ: crescetis amores.

Intereà

Interea mistis lustrabo Mænala Nymphis:
Aut acres uenabor apros: non me ulla uetabunt
Frigora Parthenios canibus circundare saltus.
Iam mihi per rupes uideor, lucosq; sonanteis
Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula, tanquam hæc sit nostri medicina furoris:
Aut deus ille malis hominum mitescere discat.
Iam neq; Hamadryades rursus, nec carmina nobis
Ipsa placent: ipsæ rursus concedite syluæ.
Non illum nostri possunt mutare labores:
Nec si frigoribus medijs Hebrumq; bibamus,
Sithoniasq; niues hyemis subeamus aquosæ:
Nec si, cúm moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum uersemus oues sub sidere Cancri.
Omnia uincit amor, & nos cedamus amori.
Hæc sat erit diuæ uestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet, & gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides: uos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum uere nouo uiridis se subijcit alnus.
Surgamus: solet esse grauis cantantibus umbra,
Iuniperi grauis umbra: nocent & frugibus umbræ.
Ite domum saturæ, uenit Hesperus, ite capellæ.

ARGVMENTVM IN DECIMAM ECLOGAM.

VIRGILIVS in Eclogis aliás prædicat beneficia amicorum, aliâs laudat amicos, aliâs insectatur

sectatur inuidos, aliâs deplorat bella ciuilia. Tales enim materiæ, scilicet, laudes benefactorum, aut uituperationes uitiorum, conueniunt Poematis. Hæc postrema Ecloga tota est querela, in qua Gallum amore & desiderio Cythretidis cruciari conqueritur, quod illam à Gallo Antonius abduxerat, Opinor tecte deplorari discordiam ortam inter Antonium & Augustum. Nam Gallus utriq; fuit coniunctißimus. Postea diuulsus est ab Antonio, & secutus Augustum, apud quem in summa gratia, & authoritate fuit. Estq; memorabile exemplum aulicæ fortunæ. Nam cum Augusto fuisset familiarißimus, Tamen ad extremum uenit in suspitionem defectionis, & iudicatus est hostis. Quare dolens Augusti animum à se sine causa alienatum, propter indignitatem rei mortem sibi consciuit. Porrò hæc Ecloga est exemplum amplificationis. Quia longa enumeratione recitat Poeta, qui deplorauerint Gallum. Estq; inserta uenusta obiurgatio, qua Pan compellat Gallum. Hæc continet locum communem, quàm uehemens affectus sit amor, & quod non poßit uinci, si quis indulgeat desiderio. Hic locus præcipue obseruandus est, præsertim propter uenustas collationes. Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina riuis, Nec Cythiso saturantur apes. Postea addidit uotum, Vtinam liceret uobiscum in rure uiuere, hic significatur uitam priuatam dulciorem esse administratione Reipub: Deinde compellat Cytheriden Gallus. Sequitur correctio, in qua uelut resipiscens ait, se medica-

turum esse amori Venationibus, uel alijs laboribus. Mox, ut est amoris inconstantia, redit ad priorem querelam, & ait, Insanabile uulnus. Estq; ornatißima Hyperbole, quod amor sit immedicabilis, omnia uincit amor, & nos cedamus amori. Hi loci communes præsertim ornati in similibus figuris diligenter obseruandi sunt, & insignes uersus ediscendi sunt, cum propter res ipsas, tum quia sunt exempla amplificationum in oratione.

ALIVD EIVSDEM.

GENERIS Demonstratiui est oratio. Continet enim querelam de Galli amore, & insania, qui Cytherim meretricem quandam deperierat, quæ Gallo spreto Antonium in Galliam cum exercitu proficiscentem secuta est. Fuit autem hic primum Augusto Cæsari percarus, cui etiam ab eodem Aegýptus prouintia administranda concessa est. Verum ubi comperit Augustus eum cum aliquibus contra se coniurasse, eiecit eum urbe. Postremo multis iudicijs & senatus Consultis confossus Gallus, tandem sibi ipsi mortem consciuisse fertur. Cæterum perpetui, & eiusdem argumenti est Ecloga multis Rhetoricis argumentis & figuris illustrata. Est autem conscripta ad primi Idyllij Thocriti imitationem de Daphnide.

ALIVD EIVSDEM.

VLTIMA Ecloga amores Galli describit, & habet præter cæteras miram affectuum in amatore

tore expreßionem. Porrò fuit hic Gallus Poëta eximius, qui Græca carmina Euphorionis in latinam lingua transtulit, & suos amores de Cytheride, quam Virgilius ficto nomine Lycorim appellat, libris quatuor complexus est. Erat quoq; primum Augusto familiarißimus. Deinde propter suspitionem coniurationis ab eodem interfici iussus est. De huius laudibus multa scribit Virgilius in fine quarti Georgicorum sub fabula Aristei. Extat & insignis locus apud Plin. lib. 7. Ordo huius Eclogæ est. Principio ponitur inuocatio cum propositione. Interserta est precatio, quæ proprie ad inuocationem pertinet. Deinde sequitur integra descriptio amoris Galli. Hæc habet initium ab apostrophe ad Nymphas, in qua est quædam commiseratio deperditi Galli. Sequitur congeries figurata Poeticis figuris, multos extitisse, qui fleuerunt insanum Galli amorem. Addita est consolatio in ipsa congerie cum sententia generali de amore.

ALIVD EIVSDEM.

HAEC Ecloga tota est Consolatoria. Est autem operæprecium uidere, quàm mirabili copia uerborum & sententiarum usus sit Poeta optimus in tractando atq; leniendo Galli Poetæ. Asinij Pollionis filij ægroto animo. Concæpit enim Gallus summum dolorem, cum Cytheris se derelicto Antonium in castra sequeretur, adeo ut statuat tandem amorem omnia

sincere. Porrò hi loci & similes pulchre docent, quàm sit infirma natura hominis, atq; quam sit obnoxia, nisi à Deo defendatur, tum omnibus affectibus cum omnibus malis. Gentes enim etsi habeant quasdam communes notitias rerum, Tamen ignorant certam uiam, qua tot malis succurri poßit. Hæc est autem reuelatio uoluntatis Dei per Christum. Exordium est inuocatio Musæ, quam præsidem carminis Bucolici fecit. Posteà Theocritum.

ALIVD EIVSDEM.

ISTE Cornelius Gallus, à quo hæc Ecloga est nominata, fuit Poeta, homo ualde eruditus, amicus Virgilij. Ille amauit quandam meretricem Cytheridem (Virgilius uocat Lycorin) quæ illi rapta & abducta est ab Antonio. Igitur deplorat eius infelicitatem in amore, & est tota Ecloga querela tantum, seu uerius irrisio quædam infelicis amatoris.

FINIS ARGVMENTORVM SEV dispositionum Rhetoricarum in Eclogas Virgilij.

TETRASTICHA IN ALIQVOT ECLOGAS VIRGILII MEmoriæ causa, à D. IOANNE STIGELIO conscripta, cum aliquando eas Vitebergæ enarraret.

IN PRIMAM ECLOGAM.

Gratus in Augustum sua Tityrus otia cantat,
 Amissos profugus flet Melibœus agros.
Quærendum ingenio uerum monet ille fauorem,
 Hic patriæ & Musis bella inimica dolet.

IN SECVNDAM.

Impar amicitiam Corydon affectat Alexis,
 Ecloga quem stolidum forsitan ista notat.
Qui sapis, alta fuge, & placide mediocria uitæ
 Perfer, amicitias & tibi iunge pares.

IN TERTIAM.

Ausa hîc cum Siculo contendere Musa Maronis,
 Ausonij ruris se docet esse decus.
Laude celebrantur meriti, ridentur inepti,
 Arguitur Musis pernitiosus amor.

IN QVARTAM.

Applaudit puero fælici tempore nato,
 Admiscens clari fortia facta patris.
Et duce promittit laudato Cæsare tempus,
 Aurea quo reducis secula pacis erunt.

IN QVINTAM.

Sicelis Andinæ comes addita Musa Camenæ,
Concinit Augusto carmina grata Duci.
Illa gemit magni crudelia funera Iuli,
Hæc iunctum superis numen habere canit.

IN SEXTAM.

Gratificans Varo uariarum exordia rerum
Commemorat, sectæ legem Epicure tuæ.
Prisca quibus miscet ueteris commenta Poësis,
Inserit & laudes Galle Poëta tuas.

IN SEPTIMAM.

Ingenij ludunt bini certamine Vates,
Liuorem meritis stringit uterq; modis.
Ingenijs solet esse grauis florentibus osor,
Vera sed hunc recte laus superare potest.

IN OCTAVAM.

Impar coniugium despectus damnat amator,
Absentem Magicæ fascinat alter amans.
Et Magicas artes, & sæuum carpit amorem,
Res est stultitiæ plena nocentis amor.

Huc usq; conscripsit D. Stigelius
Tetrasticha &c.

PARA-

PARAPHRASTICA INTERPRETATIO IN EASDEM ECLOGAS VIRGILII.

AVTHORE,

M. Stephano Riccio seniore.

CARMEN IAMBICVM TRIMEtrum de Paraphrastico libello.

Quanquam arduum ac difficile sit, Lector bone,
Satis Eclogarum perspicere sententiam.
Vt in quibus haud raro diuinandum siet,
Multaq; natatorem requirant Delium,
Nec tu tamen (qui mentis est candor tuæ)
Paruum hunc Paraphrasti cum libellum temnito.
Quin potius authoris studium complectere,
Qui hoc pueris interim prodesse uoluit,
Meliora donec doctiores proferant,
Quibus Eclogarum clarius sententia
Intelligi queat. Quare, quod adest, boni
Consule, memineris'q; haud eadem quempiam
Opera aliquid carpere posse, atq; condere.

ANNO M. D. LXV.

PARAPHRASIS PRIMAE ECLOGAE, QVAE INSCRIBITVR Tityrus, Interlocutores autem sunt Meliboeus & Tityrus.

MELIBOEVS. Cum sit humani ingenij, mansuetiq; animi officium, eius rebus, quem carum habemus, Perinde ac nostris affici, non potui facere, mi Tityre, quin tantam, tanquam inopinatam faelicitatem tibi gratularer. Posteaquam enim Octauius Augustus Victor existens in bello contra L. Antonium M. Antonij fratrem. Cremonensium agros, qui ab Antonij partibus contra se stetissent, ueteranis militibus pro egregie in bello nauata opera ueteribus colonis eiectis diuideret, & nos Mantuani propter uicinitatem mali nostris possessionibus eiecti sumus, Tu uero, qui in eadem naui fuisti (pro te apud Augustum Pollione, Vro, Cornelio Gallo intercedentibus) ingenio meruisti, ut paternus ager tibi sit restitutus. Merito igitur cantandi sunt patula arbore te oblectas, & Bucolicum carmen tenui orationis genere scribis. Verum ego sum omnium miserrimus, qui non solum meis agris, in quibus subigendis maximos exhausi labores, Verum etiam patria priuor, qua nemini quicquam prius aut antiquius esse debet, nec conceditur hic aliquandiu mihi, perinde ac tibi, manere, qui laeto animo

mo iam de Roma canis, plenoq;, quod aiunt, ore prædicas beneuolentiam Augusti. TITYRVS. Quod mihi omnia ex animi sententia succedant, Augusto referendum est acceptum, qui mihi summis honoribus afficiendus est, quoad uixero, ut intelligat gratitudinem ac pietatem in me non posse desiderari. Eo enim nomine, quod mihi solus, ut palàm est, restituit agrum paternum, & meis studijs tale ocium fecit, tantum illi me debere fateor, ut si subductis omnibus rationibus tabulas conferre libeat, soluendo sim nunquam futurus. MELIBOEVS. Non equidem tuam fortunam prædico & meam deploro, quod id mihi doleat, sed uidetur nouum & inauditum, quod in tantis motibus & ueterum colonorum exturbatione solus tuos agros retineas & ocio fruaris, cum tamen ad neminem non istius mali labes peruenerit. ò Tityre, ecquis me hodie uiuit infortunatior, cui tam subito tot congruerint incommoda? Nemo Hercle quisquam. Tot mala me circumuallarunt, unde emergi non potest. Quantumuis enim sum exhaustus uiribus, Tamen nolens uolens cum meis capellis longe à patriæ finibus discedere cogor. Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam, quod capra, quàm cernis, suos gemellos modo inter coryleta enixos, atq; necessitati consultura, nutricationi impar, etiam in duris Saxis relinquere cogitur, neq; herbis, neq; fœno, neq; graminibus substratis, cum tamen eos sperarem meum gregem aucturos esse. Sed quid ego hæc iam frustra queror? Olim, olim potius hoc ma-

lum nos præcauisse oportuit, cum monitus sim multis, uarijsq; præsagijs, futurum esse aliquando, ut agri detrimentum caperent, si non adeo peruersæ mentis fuissem, ijsq; præsagijs fidem adhibuissem. Aliquoties enim quercus leuiter fulminatas, unam deinde cornicem uidi, quod inauspicatum omen omnes prædicant. Attamen cupio, ut me edoceas, quem tantis laudibus feras, & cuius beneficio rursus istam tranquillitatem studiorum sis consecutus. TITYRVS. Scis, quæ sit in his regionibus urbis Romæ fama, quæ ab exigua omnino, ac parua origine supra modum creuit, & ad tantam amplitudinem emicuit, ut uix ulla Monarchia cum illa sit conferenda, stultus tamen existimabam eam cum Mantua nostra conferendam esse, quo agnos nostros ablactatos abigere & uendere solemus. Reliquas enim urbes tantum excellit Roma, quantum humilia uiburna arduæ Cupressi. Sic præpostere omnia à me facta sunt. MELIBOEVS. Qua igitur causa adductus relicta Mantua te contulisti Romam? TITYRVS. Cum Roma sui uidendæ studium in me non uulgare accendisset, & sarciendæ iacturæ, quam hic amißis agris accepimus, spem faceret, sæpius institui eò me conferre. Id aliquanto serius inerti succeßit, uel quod uero maiorem famam arbitrabar esse, uel quod fortuna me morabatur, quæ seruitio (Nam operam meam id temporis alijs locaram) exire uetabat. Verum opinionem meam uicerunt omnia. Et libertatis recuperandæ occasio mira fuit, antea domi laboribus

meis

meis maligne fructus respondebant. Dij quamuis sæpe litantem me non respiciebant. Oppida nos ingrata tantum non deglubebant, Deniq; nulla libertatis, nulla peculij spes erat, Hic retulit omnia in melius fortuna. Hic liberiorem uiuendi rationem, & prosperiorem fortunæ flatum nactus sum. Hic honos alit artes. MELIBOEVS. Non satis poteram mirari tam tristem statum urbis Romæ esse, Sed iam uideo, nullam aliam huius mœroris ac tristiciæ fuisse, nisi quod urbs interim, dum te caruit, quasi ornamento quodam se spoliatam putauit. Nam sic persuasum habeas, te expectationem senatus, eruditißimorum uirorum, totius deniq; plebis spem de tuo aduentu nimis diu tenuisse suspensam. TITYRVS. Mihi non est imputandum, quod non citius uenerim Romam. Non enim officium erat pietatis discedere ex patria, cum ibi alijs meam operam locassem. Præterea non arbitrabar tot Mecœnates esse Romæ, qui eruditos uiros fouerent, id quod iam comperi. Nam Romæ uidi iuuenem Augustum, cui diuinos honores merito debeo, propterea quod effusa liberalitate erga me usus est, & agros ademptos mihi restituit. MELIBOEVS. Gratulor me hercule tibi tantam felicitatem, quod agros tuos & magnos & bene munitos & amœnos ab Augusto singulari præstantium ingeniorum fautore recuperasti. Ex altera enim parte tangunt rupem, ex altera paludem, Latera uero muniunt uiuæ sepes. Nihil est igitur, quod metuas, ne insueta pabula tuis pecudibus

sint

ſint nocitura. Et licet oues tui Vicini laborarunt ſcabie, tußi, & ſimilibus morbis, quibus cum & alia pecora, tum præcipue oues obnoxiæ ſunt, Tamen contagione tuæ oues non uexabuntur. Inter partes tuæ fortunæ numerandum eſt etiam illud, quod ſub umbra iuxta amænißima flumina requieſces. Nam ex altera parte apes Hyblcæ ſuo ſuaui & iucundo ſuſurro te ſæpe ad ſomnum prouocabunt. Ex altera parte oblectabit tuas aures ſuo cantu frondator, nec ceſſabunt & aliæ aues in umbra te ſuis ſuauißimis cantilenis oblectare. Audies palumbes raucientes, & turtures gementes. TITYRVS. Quocirca Auguſti beneficij memoria hærebit in animo, & citius cerui more auium in aëre uolabunt, prius mare exiccabitur, prius flumina curſum mutabunt, atq; adeo prius ordo rerum, & naturæ curſus immutabitur, quàm eiusmodi Cæſaris meritorum obliuiſcar. MELIBOEVS. ò felix es Tityre, cui fortuna gubernatrix tot felicitates, ac tantas tam opportune in unum concluſit diem. Nos uero miſeri ſumus, qui in exilium relegamur, hic ad orientem, ille ad meridiem, alius ad ſeptentrionem. Væ miſero mihi. Fiet ne aliquando ut rediens poſt longum temporis interuallum, & uidens meos agros ab alio poßideri, mirer tantam eſſe factam mutationem rerum, ut magno deſiderio tenear earum rerum, quas olim propter abundantiam cum faſtidio contempſi? Nonnè dolendum eſt, bona, quæ ipſi nobis comparauimus, hoſtes habituros, labores noſtros perditos, meſſemq;

ſemq; ipſam tam cultam, tam lætam de manibus nobis uiolenter abreptã eſſe à ſceleratis militibus, qui ſunt in Victoria crudeliſsimi. ò Veram uocem Poetæ, qui inquit, Nulla fides, pietasq; uiris, qui caſtra ſequuntur. En his Caribus impijs, tam bene coluimus agros? ſatius certe fuiſſet nunquam coluiſſe. Iam experientia intelligo, quæ calamitates plærunq; diſcordiam ſequantur. Sed nunc actum eſt de me. Tu enim tuos agros, tuasq; capellas retines. Ego uero meis ſpolior. Nunc eò res redacta eſt, ut mihi non ſit amplius tempus ſcribendi carmina, & paſcendi oues & capellas, quemadmodum ſum antea ſolitus. TITYRVS. Etſi iuſto tuarum rerum deſiderio angaris Melibœe, Tamen illo dolore, quo maxime te confici uideo, animum tuum libera, quoniam nihil in uita adeo à nobis præſtandum præter culpam putamus, eaq; cum caruerimus, omnes caſus placate & moderate feramus. Velim autem mecum pernoctes, Ego & genialem lectum, & ſatis lautum conuiuium tibi apparabo. Sol enim tendit ad occaſum, ut non poßis hoc ueſperi reuerti domum.

ECPHRASIS POTISSIMVM ALLEgorica in eandem Eclogam. Interlocutores autem ſunt Virgilius & Mantuanus aliquis ciuis.

MANTVANVS. Non poſſum non tibi gratulari ex animo, mi Virgili, quod in ea confuſione rerum

uerum & trepidatione omnium solus sis quietus ac securus, in periculo præ nobis tutus & pastoritium carmen tenui dicendi genere scribis. Nos enim Mantuani conciues tui longe infeliciores sumus, qui non solum naturali atq; antiqua patria relicta, aliam ueluti relegati quærere, sed etiam liberos & fortunas relinquere cogimur. Tu uero manes in patria, ac summis laudibus euehis beneuolentiam Augusti. VIRGILIVS. Quod fruar iam ista animi tranquillitate et pingui ocio ad scribendũ, effecit sanè Octauius Augustus Cæsar, qui mihi non solum animo & gratitudine erit Deus habendus, sed cultu etiam & ceremonijs. Quid enim ille non mihi reddidit, cui omnia erant belli turbine excussa? Reddidit fortunas, nempe, agros & boues. Tum libertatem. Nam permisit boues errare, quo uellent, Cultum animi, nempe, Musas ipsas, ut cantem, non quæ ille præscribit de ingentibus à se rebus gestis, sed pro arbitratu meo carmen pastoritium & agreste. Tu hæc cernis omnia, nihil necesse habeo multis explicare. MANTVANVS. Non equidem inuideo fælicitati tuæ in tanta omnium miseria, sed miror, quod tu solus communem calamitatem potueris effugere. Ego uero non solum turbor, sed exturbor, & expellor cum tenui re ac familia. Ad hæc mala hoc quoq; accedit, quod abeo impeditus, atq; onustus filia & uxore recens enixa geminos, spem propagandi generis. Etsi culpa mea est, qui potuissem obuiare huic malo, si uoluissem parere cælestibus monitis. Sed obsurdescebam ad manifestas Deorũ uoces. Tunc enim effu-

gere licuisset tantam calamitatem, si cum primum uidi Brutos, Caßiũ & alios Cæsaris, percussores proscriptos, uictosq;, in quorum partibus Cremonenses erant, longius discesissem á Contagio uiciniæ, tanquam á pestilentia, aut Victorem conciliassem mihi aliqua ratione. Attamen cupio, ut me edoceas, ubi consecutus sis istam tranquillitatem. VIRGILIVS. Procul dubio scis, quæ sit in his regionibus urbis Romæ celebritas, quæ non tantum est plena nobilitatis, Ducum, Heroum, & habetur sedes Imperij, sed etiam ingenijs excellentibus, Eloquentiæ studijs, humanitatis officijs, & optimis legibus floret. Ego tamen adeo demens eram, ut illam celeberrimam urbem Mantuæ nostræ similem esse arbitrarer. MANTVANVS. Qua igitur causa relicta Mantua patria tua contulisti te Romam? VIRGILIVS. Fateor me libertatem, quam per me ipsum nunquam essem consecutus, solius Octauij Augusti beneficio nactum esse, qui tamen suspectus erat, tanquam ademisset eam omnibus. Mantuæ enim nec liber esse poteram, nec diues, quamuis non paucas ederem ingenij significationes, & eruditionis, haud utiq; pautiores, quám Romæ, sed nullum erat precium uirtuti & bonis artibus inter eos, qui illas ut non intelligerent, ita nec curarent. MANTVANVS. Mirabar, quid tantæ esset rei, cur Roma uniuersa pro te apud Augustũ, & alios proceres intercederet, ut essent tibi propitij, & ne quid quis de tuis bonis deriperet. Atqui cũ hinc es profectus Romã, magnũ tui desideriũ omnib. reliquisti, summis, infimis, mediocribus, ut causa

nulla planè fuerit, cur hinc discederes. VIRGILIVS. Quid facerem, quo minus irem Romam? quid agerem potius aut commodius? Neq; enim libertatem essem unquam nactus, nec nouissem Romanos proceres adeo propitios, & fauentes ingenijs. Tanti profecto fuit Romam adisse. Nam illum uidi magnum iuuenem, Octauium, pro cuius salute duodenos dies singulis annis Vota suscipio. Ipse enim ultro & primus, non rogatus ab ullo ex Romanis magnatibus iussit, ut pergerem in studijs cæptis, & ipso authore augerem illa. MANTVANVS. Fælicissimus ergo es omnium. Nam cum habeas talem authorem & tutorem, ingenij tui monimenta non solum perpetuo manebunt, sed etiam uallatus his patronis, quantum libet agri alijs tuis uicinis adimatur, eris ipse incolumis, nec existimationi ingenij erit, quod timeas, fauentibus tibi columinibus totius eruditionis. Inter partes tuæ fortunæ numerandum est etiam illud, quod consenesces in patria, uel ubi diu assueueris, in qua infinitas uoluptates cum oculis & auribus, tum somno, & refrigeratione capies. VIRGILIVS. Quocirca citius totius naturæ ordo immutabitur, quam exciderit ex animo meo ille uultus Augusti, quo mihi & fortunas restituit, & libertatem dedit, & animum auxit. MANTVANVS. Nos uero omnium miserrimi sumus, qui relegamur in diuersas mundi partes. Væ nobis. Dabitur ne aliquando mihi facultas reuisendi, quæ iam relinquo & cum reuisam, admirabor ne inquam, atq; exhilarescam?

rescam? Ah dolendum est barbarum, & quidem impium militem ea possessurum esse, quæ nos elaborauimus. Verum ita euenit in plerisq; humanis rebus, ut ij fruantur nostris laboribus, qui sunt indignißimi, aut quos minime omnium uellemus. Istam autem calamitatem bella ciuilia non solum Romæ publica & in summa Imperij, sed etiam intestina, in singulis municipijs attulerunt. In summa eò res deducta est, ut à rebus charißimis discedere cogar, nec amplius consuetum studium scribendi carmina colam. VIRGILIVS. Non est, quod ita dolore te conficias. Spero enim non procul abesse finem turbationis illius, & malorum.

PARAPHRASIS SECVNDAE ECLOGAE, QVAE INscribitur, ALEXIS.

ARGVMENTVM ECLOGAE IN TEXTV.

OSTENDIT hæc Ecloga amicitiam non posse contrahi, nisi inter eos, qui similibus sunt præditi moribus. Introducit enim Poëta Corydonem & Alexin, hunc doctum, illum indoctum, Hunc formosum, illum deformem, Hunc urbanum, illum rusticum. Ergo quamuis Corydon nihil aliud agebat, quàm quod sese in syluis macerabat, & Alexin oratione, quæ sequitur, in sui amorem pellicere conabatur, Tamen

frustra laborauit, eò quod nulla adfuit similitudo, quæ, ut aiunt, solet esse mater amicitiæ.

SEQVITVR QVERELA Corydonis.

Vsq; adeo non miseret te mei, qui tui amore tam misere pereo? ò durum & ferreum pectus, cum te calamitatis meæ nullus sensus tangit, qui uides nulla animalia, quæ hoc meridiano tempore alibi non requiescant. Oues modo iacent sub umbrosis rupibus, Boues in nemoribus se continent, nec prius inde abeunt, quàm meridiani æstus deferbuerunt. Lacerti inter spineta sese occultant, Messores etiam domum redierunt, quibus Thestylis ex allio & serpillo pulmentum parat, ut ita nimirum solis æstu & laboribus fessi refrigerentur, & ne singula memorando complectar, nullum animal est, quod non hoc meridiano tempore umbrifero aliquo loco solis calores depellat, & quiescat. At ego ita misere tui captus sum amore. Vt quiduis tua causa perpetiar & perferam Solus hoc æstu solis per omnia loco te quæro, te uoco, te tamen non inuenio, te mihi respondentem non audio, idq; dum facio diligentius, graues corporis molestias subeo, & nihil tamen proficio. Ausculto attentius, num mihi sis responsurus, & nostrum dolorem aliquo saltem uerbo mitigaturus, sed ita muta sunt omnia, ut magis esse non possunt. Duntaxat arbusta cicadis personant. Dum frustra labores tantos sustineo, uideo multa satius fuisse amare Amaryllida,

Phillida, quæ quamuis mihi ſæpe iraſceretur, tamen ex ea multas uoluptates capiebam. Ego, fateor, ſum ab ea ſubinde faſtiditus. Quid tum poſtea? Cum animaduerteret me magno ſui deſiderio teneri, commouebatur non nihil, & blande, comiterq; me alloquebatur, etſi forma tibi non inferior eſſet. Sed quid pluribus tempus tero? ſatius fuiſſet me amare Menalcam, quamuis à ſole denigratus eſſet, & tu illa urbana & umbratili uita candidior illo eſſes. O formoſe Alexi, uide ne nimia tui coloris admiratione decipiaris, obſeruaſti ne uaccinia liguſtris præferri, & hæc negligi, illa uero quamuis nigra ſunt, ab omnibus colligi?

Cauſam autem, cur me deſpicias, hanc eſſe ſuſpi-cor, quod nondum ex aliquo cognoueris, quanta mihi ſit pecorum copia. Quod ſi idẽ noſſes, non dubium eſt, quin me plurimum amares. Mille enim agnas habeo, quæ adeo fæcundæ ſunt, ut æſtate & hyeme lac abunde mihi ſuppeditent. Quid igitur te impediat, quo minus mecum amicitiam iungas, nihil obſtare uideo, niſi forte, quod opineris me nulla arte excultum eſſe. Sed hanc opinionem falſo de me conceptam prorſus ex animo eijceres tuo, ſi canentem me audires. Fama tenet Amphionem adeo præclarum fuiſſe Muſicum, ut ſuo cantu Saxa in unum locum coëgerit, indeq; Thebas condiderit. Quod certo non de Saxis intelligendum eſſe puto, ſed potius de hominibus, qui eo tempore, neq; legibus, neq; ullis uitæ inſtitutis regebantur, ſed nondum naturali, neq; ciuili iure cognito fuſi

per agros ac dispersi uagabantur. Verum ego meo cantu sic armenta moueo, ut me, quoquo uelim, sequantur. Quæ res meo iudicio non minorem laudem meretur, quàm Amphionis factum. Neq; enim minoris est negotij boues, quò uelis, agere, quàm homines natura alioqui dociles in unum cogere, & ad humanitatem, ad quam sunt propensi, assuefacere.

Quid est, cur forma sordeat, in littore nuper hanc ipse speculatus sum, nec uel te iudice Dapnin metuam, ne præstet formæ gratia. Solitudinem in rure fortasse metuis. At ab illa nos canendo uindicabimus, nec uulgariter iuuabit nos peruagari rus omne, ac nemora canentes. Deos etiam ea uoluptas aliquandiu tenuit. Pana enim ferunt Musicæ nobis in rure authorem esse. Crede mihi, usq; adeo non debet contemni ars mea, ut sim etiam plærisq; hoc nomine inuidiosus. Aufferes & premia nostri amoris, fistulam, qua me unum dignum putabat Damætas. Addam capreolos nuper forte repertos, tam uenustos, ut ambitiosissime petat Thestylis. Quod si hæc sordent, Nymphæ lilia, narcissum, uiolas donabunt, Nos ipsi castaneas & pruna legemus, quibus Amaryllis capiebatur unice.

Verum næ ego rusticus sum, qui muneribus meis te flecti existimem, & si flectaris, habes alium ditiorem, qui facile me in dandis muneribus uincat. Valde autem mihi dolet, quod cum sciuerim, quæ incommoda ex amoris insania eueniant, Tamen non potui facere, quin amorem tuum mihi conciliare conarer, dumq; id

tentaui, magnam feci iacturam & rei familiaris & ætatis meæ. Hinc profecto recte in me illud Medeæ dictum competit, Video meliora, proboq;, Deteriora sequor. Quod deniq; incolam rura, non satis causæ est, quo minus me in tuam gratiam recipias, siquidem & Paris Priami filius id temporis rus incoluit, cum iudicium ad eum de forma trium Dearum deferretur. Nec te moueat exemplum Palladis, quæ inuentrix extruendarum urbium fingitur. Sed tamen dignus eram ò Alexi, quem respiceres, uel amor merebatur mutuam beneuolentiam. Quantum enim ardet persequi lupum leæna, capellam lupus, Capella Cythisum, Tantum ego tui amore teneor, idq; adeo, ut cum iam sub noctem interquiescant omnia, ego tamen flammis istis crucior. Nam iuuenci functi suis laboribus, sub crepusculum uespertinum redeunt domum, ut recolligant uires. Sol itidem peracto suo cursu quotidie occidit. Ego uero solus non possum præ nimia impacientia amoris quiescere, sed huc atq; illuc furibundus impellor, ut ferè non sim compos mentis. Verum quorsum querelam Corydon, quin tu aliquid interea operis domi facis, quod res tuæ poscunt. Ita enim fieret, ut istum affectum ex animo eijceres, siquidem aduersus amorem nullum præsentius remedium, atq; laborem, nec non studium literarum esse ferunt.

ECPHRASIS POTISSIMVM ALLEGORICA IN SECUNDAM Eclogam. Interlocutor autem est solus Poeta Virgilius.

AR-

ARGVMENTVM ECLOGAE in Textu.

VIRGILIVS rusticus & Poeta Cornelij Galli familiaritatem summo studio ambibat, quo unice delectabatur Augustus Cæsar, nec poterat sui uoti fieri compos, propterea quod impediebatur negotijs ab Augusto iniunctis, & familiaritate ipsius principis, qui illum secum quocunq; proficisceretur, abducebat. Sæpe etiam requirebat eum longis itineribus, profectione Romam, & ad alias ciuitates, tum prouocatione carminum rusticorum, sed surdis canebat.

QVERIMONIA VIRGILII DE Cornelio Gallo.

Planè mihi persuadeo, te ferreum habere pectus, quod per principis tui Augusti negotia te ita auerti patiaris, ut beneuolentiam meam, qui inter Poetas nomen profiteor meum, paruifacias. In tanta enim pace Italiæ, in tanta quiete omnium & securitate Octauij uirtute parta, ego solus inquietus ago, cupidus fruendi tua consuetudine. Geris & procul cum alijs bella, in quibus uideor mihi militare, & geris mecum non respondens amori erga te meo. Mihi quidem ad fructum familiaritatis satius fuisset aliquem amasse inferioris notæ amicum, quî cum potuissem uersari, miscere sermones, oblectare me ex animi mei sententia. Nihil enim iucundius, quam pares amici. Melius (inquam) fuisset, etiam morosos, iracundos, & difficiles diligere, modo datum esset non torqueri desiderio, & conspectu

atq; alloquio caro frui. Sciuissem enim me illorũ moribus accommodare, nec illi humilitatem meam despexissent, quamuis illi imperiti, rustici, & pauperes sint. Tu contra eruditus, urbanus, locuples, & potens. Verum ne nimium fidas fortunæ dotibus, ex quibus, quæ ingentes sunt, sæpenumero concidunt, mediocres aut paruæ conseruantur. Tum amicitiæ magnorum sæpe dissoluuntur, coluntur autem inter mediocres. Quis enim appetat amicitiam eius, quo frui per magnitudinẽ nunq̃ liceat? Aequalitatem enim esse in amicitia oportet, ut alter altero ex animi sui sententia fruatur.

Fortasse autem ingenio meo non perinde delectaris. At quæras ab ijs, qui hac de re iudicium ferre possint, qua sim eruditione, quàm preditus omni cultu animi, omnibus disciplinis. Nec solum artes humanitatis teneo, sed pango etiam carmen antiquorum simile ac par, ita ut idẽ uideri posit. Viuentibus enim satis magna uidetur gloria, æquori posse cum superiorbus, cũ non raro superent. Præterea etsi rusticis sum natus parentibus, nõ tamen moribus uel rusticanis, uel aspernandis, tum nec corpore pudendo, h. e. cultu corporis & formatione, ut pudere te posit, si inter Romanos proceres familiarius tecũ uerser. Nam & uersatus sum antea cũ Octauio Augusto, Mecænate, Pollione, Tucca, Varo, & cæpi experimentũ mei ex illorũ iudicio proxima pace cũ in armorũ quiete omnes'se domũ recepissent, positis armis, & summotis tumultibus, ut appareat eos per ocium potuisse de me iudicare. Si tu modo uelis uacare ad carmina utriusq; nostrum

cognoſcenda, non ego aliquem alium Poetam, *excultum & expolitum uſu urbano metuam, ſi modo non iudicia illorum præſtantium uirorum mihi imponunt.*

Nihil profectò reſtat, niſi ut non reſpuas ingenium meum ruri natum & alitum, carmen quoq; de re paſtoritia. Sunt enim & in hac materia, atq; hoc uitæ genere ſuæ uoluptates, in ducendo grege & uenatu, ſumas ſolum experimentum conuerſationis huius mediocrium amicorum, uidebis quantum in ea inſit dulcedinis. Nec *te hominem pudeat, cum* Deus *iudicauit ſe non indignum, quem nos & authorem, atq; inſtitutorem uitæ huius, & tutorem, & ſocium habemus.* In*ſuper & tu carmen ruſticum & paſtoricium compoſuiſti, quod ut aſſequeretur* Amyntas Poeta *magni nominis & ingenij, qua non ille uia affectauit, nec potuit tamen conſequi.* Habeo *autem* Theocritum *peritiſſimum* Magiſtrum Bucolici *mei carminis, qui pro ſuo iudicio ſtatuit, me tenere ſecundas poſt ſe.* Quam *laudem principatus inuidit* Amyntas, *merito ſtultus, qui id affectat, quod eſt ſibi à natura negatum, & inuidet, quibus eſt conceſſum, uel qui ipſi pararunt ſibi induſtria.* Præ*terea ad conciliandam mihi tuam familiaritatem, habeo duo* Poemata, Bucolicum & Georgi*cum magna cura & difficultate excuſa, quæ ſtatueram tibi dicare.* Cum *autem uideam te iſto munere non magnopere capi, transferam inſcriptionem ad* Pollionẽ, *aut* Mecænatem, *à quibus ſummo ſtudio rogor.* In *iſtis enim operibus legeres ruſtici carminis ſuauitates, & uitæ*

uitæ agrestis, quæ cum sint naturales, maiores sunt ac diuturniores, quam urbanæ, quæ humano artificio constant. Verum næ stultus sum, quod ego homo rusticus Cornelium Gallum urbanum, humilis potentem, & sordidis muneribus locupletem in meam amicitiam allicere cupiam, cum ille omnia copiosius & præstantius Romæ inueniat, etiam in ipso Cæsare. Ita inanem operam sumo & perdo tempus & corrumpo mihi aliarum amicitiarum pulcherrimas occasiones, dum huic uni studeo. Ah uere demens es ò Galle, qui te potiorem esse iudicas, quàm Deos.

Fugis & hominem rusticum & carmen rusticum, cum his duobus delectati sunt aliquando magni principes & Heroës. Canant alij sanè res bellicas grandi carmine, uel iactent se rebus bello gestis suis aut maiorum suorum, nobis nec origo nec uita rustica uidetur pœnitenda, nec consilij nostri piget, qui pastoritia & agrestia cantamus. Age igitur tu mecum Corneli Galle, ut tibi libuerit. Fugias, asperneris me, ego tamen nescio, quo animi mei nutu, ad tui beneuolentiam feror, nec eam deponam, qualemcunq; te experiar aduersum me. Rapior enim naturæ meæ tractu, ut leæna ad lupum, lupus ad capellam, capella ad Cythisum, Ita quisq; ad id, quod naturæ suæ sentit esse congruum & expediens, trahitur. Omnia quiescunt iam, solum autem amoris desiderium non nouit quietem, donec re chara perfruatur. Verum cur adeo sum demens, ut opera inchoata relinquam, & prætermit-

tam occsiones perficiundi, sector inutilia hoc tempore, quo possem ea parare, quæ paulo post futura essent usui. Cur non uerto me ad opera cæpta, & ex his petam huic desiderio solatium? Cur non absoluo Georgica & Aeneida, quæ opera pendent mihi inchoata, aut leuioris operæ colligo materiam, aut eorum, quæ scio hoc tempore precium habere ac gratiam? Ego quidem amabo Gallum, quia illuc me rapit animus meus, sed illis operibus absolutis, si ab hoc non redamabor, inueniam alium, cui sim carus.

PARAPHRASIS TERTIAE ECLOGAE, QVAE INSCRIbitur Palæmon. Interlocutores autem sunt Menalcas, Damœtas, Palæmon.

MENALCAS. Inopia tua argumento est, pecus, quod pascis, ad te non pertinere. Fac igitur me edoceas, num illud pecus sit Meliboei? DAMOETAS. Non, uerum Aegonis riualis tui in amore, qui meæ fidei nuper pascendum commisit. MENALC. Miserum uero herum, qui rem pecuariã credit mercenario seruo planè indigno, cui aliquid committatur. Dum enim herus suis amoribus indulget, nec audet ab amica latum digitum discedere ueritus, ut sibi præferar, seruus suffuratur lac & pecus mala fide pascit. Nec considerat interim, quod duplo maiores commoditates ex pecore percipere posset, si ipse pasceret, nec committeret alijs. Nam nunquam satis fæliciter solent procedere ea, quæ oculis agimus alienis. Hinc rectissime dictum est, pecus nullo pabulo perinde saginari,

 εἷς ἐστι δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης Menander.

atq; domini oculo. Et agros meliore fimo ſtercorari non poſſe, quàm qui de domini pedibus in illos decidit. Quæ procul dubio nobis inculcare uolunt, ut ſpem, fiduciamq; rerum, quas efficere poſſumus, haud unquam in alijs, ſed in nobiſmet ipſis habeamus. DAMOET: Noli me ex animo ſpectare tuo. Si enim paratus es alijs ſua uicia obijcere, temeritas tua reprehendetur, ipſe uitio non cares. Nuper enim in ſacello tale facinus commiſiſti, ut et Nymphæ auerterint faciem, tantamq; turpidudinem aſpicere nequiuerint. Quod profecto non feres impune propter locum ſacrum à te uiolatum. Aequum eſt igitur, ut deſinas me conuitijs proſcindere, ne ſi mihi pergas, ſiuæ uis dicere, ea quæ non uoles, audias. MENALC. Et tu ſcilicet boni uiri functus es officio, quod cōtempta authoritate magiſtratuū & legum, quæ tanq̄ duces & gubernatrices omniū conſiliorū atq; actionū eſſe deberent, nuper arbuſta & uites Myconis incidiſti. Nam mihi nō dubiū eſt, quin capitali ſupplicio afficereris, ſi palàm fieret tuum facinus, ſiquidem leges eos, qui uites incidūt, non ſecus ac latrones puniri uolunt. DAMOET. ò inuidum ingenium. Cū enim Daphnidi donata fuit fiſtula, nō conquieuiſti, donec fregeris, & ſi non fregiſſes, inuidia contabuiſſes. Sic enim es natura comparatus, ut ſemp̄ alterius rebus marceſcas opimis. ME. ò tempora, ò mores hominum, cū liceat nunc ſeruis uelut ex plauſtris etiā in quemlibet ingenuum debachari, quid facturi ſunt domini, quibus maior licentia data eſt? ſed æquo animo ferrem iſtam immodicam libertatem ſerui, ſi ipſe crimine uacaret.

Is enim, qui in alienis uitijs notandis tam est oculatus, debet uitijs carere. Noti uersus sunt.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uitijs tam cernis acutum.

Nonne ipse uidi, cum Damonis caprum abigere conareris, nihil deterritum esse á cane custode. Quin cum ego forte deprehendissem irrumpentem in caulas, ipse refugiens abdidisti te post carecta. Hic ego Tityrum hortabar, ut caueret, ne negligentius pascere sineret nostrum pecus, & á furibus defenderet. DAMOET. Quanta iniuria insontem afficias, uel ipso Damone teste conuincere te possum. Debebat is capram carmine á me superatus. Sed nescio, qua de causa præstare promissum negabat. Inique igitur me furti insimulasti, cum ego uideor mihi id meo iure quodammodo uendicare. Aequum est enim, ut quod quis magno labore sibi comparauit, id retineat, & pro suo utatur. MENALC: Nullo modo adduci possum, ut credam te illum carmine uicisse, cum nihilo magis appositus sis ad fistulam, quám asinus ad Lyram. Misere te alicubi stridentem in triuijs audiui, unde coniecturam facio, quám sis imperitus rei Musicæ.

DAMOET: Noli cogitare te omnibus numeris in Musica esse absolutum. Ego nihil uereor tecum congredi, ut faciamus periculum, uter utri canendo præstet. Deponam, si uidetur, uitulam mire fœcundam. Bis enim mulgeri consueuit, binos alit fœtus. Tu contra quid depones? MENALC: Ego quidem

non

non detrecto certamen. Verum de grege non est integrum aliquid deponere. Metuo enim patrem & nouercam, á quibus quottidie bis numeratur grex. Verum quoniam ita animum induxti tuum, nec de sententia tua deduci potes, tibi ultro infortunium accersis. Pocula igitur opponam tuo pignori neutiquam cessura. Primum enim fagina sunt. Deinde Alcimedon, quem propter excellentiam ingenij & artis omnes admirantur, ista sculpsit, uite cinxit, & hedera, quæ undequaq; circum pocula serpunt. Addidit & duo signa, Cononem, & nescio, quem alium metientem orbem, & describentem tempora agricolis serendi, metendiq;. Præterea poculis istis nondum sum usus. DAMOET. Non est opus, ut tantis laudibus efferas tua pocula, quæ uincit mea uitula ita, ut ne deponere quidem ipse similia pocula uoluerim, ueritus, ne pignora contemneres. Nam & nobis Alcimedon duo pocula fecit, & ne artis in his precium minus esse putes, uiridem Acanthum circumdedit. Præterea sculpsit & Orphea cantu syluas & feras ad se pertrahentem. Quám uero pulchre expresserit animantium formas, quám scite depinxerit progredientia nemora, nullis uerbis consequi poßim. Atq; ista pocula nondum sunt usu contrita, sed adhuc inter κειμήλια conseruantur. MENALC: Non deterrebo tecum congredi, & quascunq; conditiones certaminis mihi feres, accipiam, ac docebo te, quám infœliciter soleat res succedere Dareti prouocanti Entellum. Verum Palæmona forte huc accedentem

tem designemus arbitrum, utrum hic uictorem pronunciarit, penes eũ par erit, ut sint certaminis præmia. Efficiam, crede mihi, ne tam temere aliquem te peritiorem lacessas. DAMOET. Haud muto factum, & siquid habes, quod est dignum admiratione, profer, etiamsi esses Amphion aliquis, Tamen tibi neutiquam cederem. Nec fidei Palæmonis metuo rem quamuis ancipitem committere, modo auscultare illi libeat. PALEMON. Promitto me uobis benignas aures præbiturum esse, quoniam opportune huc accessisse me intelligo. Et inuitant uos quidem ad canendum omnia hoc tempore, ocium, hæc uernantia prata, in quibus consedimus, campi, syluæq; uirentes, & uer temperatum, cum nec immodico æstu marcesimus, nec frigore rigemus. Ne autem fiat confusio carminis, canite alternatim. Ea enim est rerum natura, eiusmodi sensus humani fastidium, ut nihil esse posit tam suaue, quod non abeat in nauseam, si paulo diutius utare. Nihil tam egregium, quod idem diu placere posit. Quare uarietas tantam gratiam omni in re habet, ut etiam uicißitudine carminis Musæ delectentur.

Amant alterna Camenæ.

DAMOET. Auspicari uero à Dijs inchoandum carmen est. Nisi enim Dij nos gubernent, maxima pericula sæpe adire cogimur. Siq; nostris studijs non aspirent, & faueant, infæliciter omnia suscipimus. Par autem est à Ioue ordiri, qui sese in hanc rerum molem infundit, uegetat, conseruatq; omnia, terram fæcundat, uitam & spiritus animantibus suppeditat.

ditat. Postremo ingenia etiam & canendi scientia, & si quid aliud est rerum omnium, Iouis beneficio mortalibus contingunt. Est Deus in nobis agitante calescimus illo. Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Cum igitur Ioui & mea carmina sint curæ, decet, ut omnes nostros conatus, nostra studia, nostra consilia illius auspicio incipiamus. MENALC. Non ego minus religiose Phœbum colo lucis huius authorem, & mereri, imprimis uidetur, cui Laurum consecres, ac Hyacinthum. Laurus enim uictoriæ index est, & prælata inter armatos hostes pacis indicium est. Quis uero est, qui non accepta ferat tanta bona, pacem & uitã & tranquillitatem superis? Iam ut Hyacinthus aduersus uenenũ remediũ est, Ita solem sentiunt imprimis suo lumine omniũ animantiũ uitam alere. DAM. Fæliciter amant hij, quibus mutuo in amore respondetur. Et Galathea quidem nõ mediocrem significationẽ amoris mutui edit, cũ colludens inuitat, ac alit amorẽ. Cũ enim poma inijcit, ita refugit, ut cupiat tamen agnosci, idq; fit, ut amantem fuga incendat. MEN: Ego longe fælicius amo. Neq; enim Amyntas refugit, aut à nostra consuetudine abhorret, sed ultro expetit aliqua parte apud me hærere. Et canes quidem sentiunt familiæ esse partem. Neq; enim allatrare solent. DAME. Video amorem non esse firmum, nisi semper maximis muneribus confirmetur. Vt igitur & ego amorem muneribus teneam, Galatheæ palumbes à me dabuntur, quarum nidum nuper adeo deprehendi.

Laurus uictoriæ et pacis indicium

Simile.

ME-

MENALC: Ego Chrysomela decem misi Amyntæ, missurus sum plura, ubi licebit. Quám cupio autem splendidiore munere Amyntam ornare, uerum illi uoluntas mea perspecta est, nec dubito, quin qualicunq; officio meo delectetur. DAMOET. Fælicem autem me, qui tam suauiter cum Galathea confabulari, & tam simpliciter, ac libere loqui soleo. Nec dubito, quin magna uoluptate Dij ipsi afficerentur, si blandißimas huius fabulas audire contingeret. MENALC. Ego contra magno dolore angor, quoties ab Amynta diuellor. Solet enim ille, dum ego retia seruo, procul á me excurrere uenaturus apros. Atq; amicitia ijs non potest esse iucunda, qui ita diuelluntur, ut mutuæ consuetudinis fructu careant. DAMOET. Remitte mihi quæso meam amicam Phyllida ó Menalca, ut hodie hilare hunc diem nobiscum sumat. Celebro enim meum natalem diem. Et si sacrificauero oblata uacca grauida in fordicidijs, hoc est, in sacrificio matris Terræ, ut fruges bene proueniant, ipse ad me uenito. MENALC: Phyllida autem præ cæteris amo, quod tam grauiter meum discessum tulerit, & tantopere mea causa se macerarit. Cum enim essem discessurus, uerbis consequi non possum, quantum fleuerit, uerita, ut nunquam me rursus conspiceret saluum. DAMOET. Vt lupus impetum faciens in stabula solet pecoribus nocere, imbres frugibus, uenti arboribus. Sic nocet mihi Amaryllis, quæ me redamare dedignatur, & facit ut mihi non lux, non cibus suauis sit. MENALC. ut

pluuia

pluuia terram uegetat, ut hœdi arbuto delectantur, capellæ salicibus. Sic nihil est mihi iucundius consuetudine Amyntæ, qui est unicum meum solatium, unicum corculum. DAMOET. Quanquam carmina tenui oratione, & scriptura leui scribo, Tamen illis capitur, & unice delectatur Pollio Eloquentißimus Orator, cui propter suum erga me officium merito à me habenda est gratia. MENALC: Non abs re est, quod tuis carminibus faueat, id fit fortasse, quod ad similia studia animum adiunxerit suum. Solet enim æqualis æquali delectari. Meretur autem, ut taurus aptus ad certandum in honorem eius pascatur. DAMOET. Inprimis ò Pollio meretur ille, qui tuis honoribus non solum, sed etiam studijs fauet, ut eosdem honores consequatur, quibus tu propter Eloquentiæ perfectionem ornatus es, Deinde ut circumfluat omnibus rebus, & omnes eius actiones fælicem successum sortiantur. MENALC. Qui uero Marci Bauij & Meuij peßimorum Poetarum carmina magis amant, quam Pollionis, ijs nihil precor, quam ut cũ ratione insaniant, & ea, quæ contra ipsam naturã sunt, committant. Deinde in eis exemplum omnibus seculis memorabile proponatur, ut in posterum de magnis uiris reuerenter & honorifice sentiant & prædicent. DAMOET. Reuertimini quæso domum ò pueri, qui flores & fraga carpitis, ne dum sic deambulatis, in periculum, quod uobis impendet, incurratis. MENALC. Prohibete & uos pastores, ne oues nimium procedant. Non enim

usq; adeo tutum est prope ripam pascere, ubi fere nuper aries ipse submersus erat. DAMOET. Non opus est Tityre capellas iuxta flumen pascere, ne aliquid detrimenti capiant. Vbi enim res monebit, ipse eas in fonte, ubi minus est periculi, lauabo. MENALC. Cogite pueri oues sub umbram platani, ne frustra deinde mulgeamus, quemadmodum nuper, cum lac nimio æstu imminutum esset. DAMOET. Væ misero mihi. Quis me infœlicior? Nam pecus meum licet eruo pinguißimo pabulo utatur, tamen marcescit. Coniecturam autem facio, nullam aliam causam huius maciei esse præter amorem, quo contabescit, perinde ut ego. MENALC. Non debes culpam tantæ macilentiæ in amorem transferre. Nam quia meum pecus est macilentum adeo, ut uix oßibus hæreat, cum tamen nullis amoribus indulgeam. Nescio profecto, unde id mali mihi eueniat. Vereor, ne uænefica quædam fascinarit agnos. DAMOET. Quia uideo neutrum cessurum, cantiones missas faciamus, & alia uia alter alterum aggrediatur. Soluas mihi rogo hoc œnigma, in quo loco Sol faciat umbram non amplius, nisi trium ulnarum. Quod si feceris, colam te perinde ac Apollinem. MENALC. Tu uicißim frueris Phyllide amica nostra, si mihi solueris, ubi nam nascuntur flores, quibus insceipta sunt nomina regum Aiacis & Hyacinthi.

PALAEMON. Non possum tantas lites intra uos componere, ac pronunciare, cui decernen-

da sit uitula. Vterq; enim uestrum praemio uictoriae dignus est, praesertim cum non solum in hoc uestro certamine magnis praeconijs Deos prae clarorum uirorum ingenia extuleris, sed etiam amores recitaueritis addita insigni insectatione oemulorum & indoctorum hominum. Atq; tali uitula dignus est, quisquis autem potest sibi cauere á blandientibus amoris illecebris, ita ut nihil sibi inde metuat periculi, quae cum in speciem suaues uideantur, plurimum amaritudinis afferunt, Aut quicunq; experietur amores esse amaros, & aliquando exercitatus in his amoris periculis tandem agnoscit se errasse, & accepto damno ueluti piscator ictus sapere demum incipit, & uitae suae rationem melius instituit. Cum igitur satis superq; benignas aures uobis praebuerim ó pastores, uestrum est canendi finem facere.

ECPHRASIS ALLEGORICA IN TERTIAM ECLOgam. Interlocutores autem sunt Menalcas, hoc est, inuidus aliquis Poeta, & Virgilius, & Palaemon, hoc est iudex aliquis.

MENALC. Carmen hoc pastoricium, quo tantopere te offers, cuius nam est? An est poetae alicuius ignobilis, Meuij puta uel Bauij? VIRG. Non, uerum insingnis Poetae Galli, qui me huius artis partici pem quoq; fecit. MEN. Miserum ó semper carmen

 pasto-

paſtoritium, quod in manus adeo indignas deuenit. Dum enim Cinna & Pollio & Gallus & alij, qui eo multum ualent, ſuntq; eius quaſi domini, de gratia & authoritate principis, populiq; contendunt mecum, alienus tu inuenis locum, ut te Muſarum ſtudio ingeras & canis carmen paſtoricium ſine ſucco & gratia, & tanquam fur detrahis huic arti ſuam uenuſtatem effutiens ex tempore qualeſcunq; uerſus. VIRG. Non ſis quæſo adeo intemperans in maledicentia, ſed memineris, quæ de te poßint dici. Nam & carmen tuum uidimus ineptum ac ridiculum, quod populus contemnens ac indignans legit, proceres autem faciles & generoſi riſerunt. MENALC. Obijcis mihi carmen meum incompoſitum & incommodum, quid faceres, ſi ego nouam & bonam materiam imperito uerſu cantaſſem atq; infelici, ut tu? Non enim ſolum res agreſtes, ſed etiam res Auguſti & populi Romani malo & indocto carmine perſequeris. VIRG. ò inuidum hominem, qui me calumniaris, fauori ac muneribus mihi collatis inuides, lædisq; me, quacunq; potes magna rabie odij, atq; inuidentiæ. MENALC. ò mores hominum, quid non audeant dicere ac facere domini, cum fures & nebulones perditißimi auſint iſta? Nonnè tu es fur & compilator Græcorum ac Latinorum reclamantibus alijs Poetis, furtumq; exprobrantibus. Nam cum tecum expoſtularent, obtegebas te, furtumq; tuum obtentu aliquo tenui uerſuum abs te uel immiſtorum alienis uel immutatorum. VIRG. Quanta me in-

iuria afficias, uel testes erunt mihi prisci Poetæ, quibus non sum inferior, & quorum plæriq; omnes cantando à me uicti sunt, artisq; præmium ac decus ab illis extorsi elegantia meorum carminum. Decus enim hoc Poematis, quod tu surripuisse me criminaris, ne sis inscius, meum est, meo ingenio partum, nec alij uates id negant, sed tribuere hoc mihi, uel authoritate uetustatis uel recepta in uulgus opinione præpediuntur. Populus enim nouis scriptoribus non multum tribuit. MENALC. Nunq̃ tu eam habuisti eruditionis facultatem, nec maioribus assueuisti fistulis, uel uulgari ac triuiali pericia cantandi præditus, apud uilem Plebeculam Mantuæ, alijsq; in municipijs frigidis, profundebas miseras cantiunculas.

VIRG: ut tandem sit aliquis finis conuitiorum, ego, quem tu alienum appellasti, & mercede conductum, tecum certabo de præstantia argumenti ac materia carminis. Tu dic, qua de re mecum sis certaturus. MENALC. Ea de re profecto certare non licet, sed certabo tecum libenter de nitore & artificio & nouitate gratiæ. VIRG. Nec mihi, crede, elegantia, facetumq; dicendi genus deest, & recens expolitio ac uenustas, nec recusabo super ea re certamen, sed nihil hoc est, si cum solida atq; utili materia conferatur. MENALC. Sum tecum certaturus de quacunq; materia uelis, modo ne sine iudice hoc fiat, ne postea à me uictus inficieris & tergiuerseris. Nec fidei Palæmonis imperiti metuo, modo sit iudex. Tanta fiducia nitor.

VIRG. Non pœnitet me facti, & si lubet, proferas aliqua carmina, de quibus iudicium fiat. Ego enim tibi neutiquam cedam. PALEMON. Polliceor me syncere de utriusq; carmine iudicaturum esse, quoniam me opportuno tempore aduenisse uideo. Et ad scribenda carmina inuitat uos quidem uernum tempus, nec non agri & syluæ, quæ omnia summam læticiam spirant, & animos hominum egregie excitant. Verum scribibite uersus Amœbæos, ut seruetur ordo, & á me certius iudicium ferri queat.

VIRG. Cum sentiam omnia nostra studia, nostros conatus non fœliciter succedere, non aspirante Deo omnium rerum creatore & conseruatore, æquum esse duco, ut & hoc meum carmen á Deo exordiar. Illius enim nutu ac concessione excoluntur terræ. Deinde compertum habeo non exiguam curam eum pro meis carminibus gerere. Diuinos enim quosdam ingenij impetus indit mihi, dum carmen compono, unde Poema meum curæ illi esse sentio. MENAL. Non minus ego certe colo Mecœnatem meum Augustum, cui grata mueera, nempe, laurum & Hyacinthum consecro, quibus unice capitur. VIRG. Non est, quod iactites familiaritatem Cæsaris Octauij. Multa enim & magna fauoris signa mihi quoq; præbuit. Etsi uero occultet eam interdum, Tamen subinde prodit suum singularem erga me amorem more principum, cum in magnam gratiæ partem aliquem statuerint sensim recipere. MENALC. At ego longe felicius utor familieritate

liaritate & consuetudine summi ac nobilißimi ciuis Romani, qui familiarißimus est mihi, adeo ut uel meis canibus domesticis, quos custodes ædium alo, notior sit, quàm ipsa Dea uenationum. VIRG. Nec existimes solum me ab Augusto diligi, uerum etiam muneribus illum colo, & iam habeo præ manibus materiam, qua fauorem Augusti, erga me magis & magis promereor. MENALC. Et ego fautoribus meis agrestia munera, puta, carmen rusticum misi, breuiq; tempore missurus sum aliud. VIRG. Felicem autem me, cum quo tam secreta colloquia Augustus habet, plena beneuolentiæ & amoris. Nec dubito, quin & proceres Romani me, qui tam gratus sum principi, pluris facerent, si nota essent illi colloquia nostra. MENALC. Quid iuuat, quod Augustus tibi ex animo bene uult, si non admouet magnis ac præclaris rebus, sed sint te in ignobilitate & obscuritate studiorum consenescere? VIRG. Sine me Auguste inuitare ad conuiuium rusticum pollionem, ut ei opus hoc pastoricium dicem. Tu uero aliquando carmine maiore à me celebraberis. MENALC. Et ego singulari amore prosequor Pollionem, propterea quod tam grauiter tulerit discessum, sitq; præ mœrore collachrymatus, longamq; salutationem mihi dixerit, ut solet inter amicos fieri. VIRGILIVS. Crede mihi, quod non amem solum Mecænatem, aut Pollionem, sed ueneror quoq; eos, nihilq; mihi esset tristius, quàm illorum animos à me abalienatos esse. MENALC.

Mihi uero nihil est illorum & alloquijs & conspectu iucundius. VIRG. Quamuis ego scribam rusticum carmen, tamen ille delectatur unice Pollio. Quare uos ô Musæ obtestor, ut illi, qui tam libenter uestra legit, ijsq; capitur, suppeditetis Veneres siue, carmine siue prosa. MEN. Pollio non delectatur rustico Poemate, sed facit ipse carmē noui generis, nouiq; argumēti, quo profligabit inimicos suos, & inuidos impetet uersuum acumine, ut indocti metuant eum postea. VIRG. Præterea non Pollioni ipsi solum, sed eius etiam amicis felicitatem aurei seculi precor, cum omnia bona ubiq; prouenirent. MENALC. Quod tu tantis laudibus semper Pollionem prouehis, non aliter interpretari possum, quam mulos se mutuo scabere. Nec uideris dissimilis esse Bauio & Meuio. VIRG. Qui bonis artibus datis operam, fugite hunc uenenosum Poetam. MENALC. Vos alios adhortor, ut euitetis Arrij Centurionis familiaritatem. Nuper enim ferè Virgilium occidisset, nisi coniecisset se in Mincium amnem, & nando ad ulteriorem ripam peruenisset. VIRG. Caute agatis quæso uos Mantuani ciues, & deuitetis periculum. Ad tempus enim reperiam occasionem, quo apud Cæsarem ipsum efficacem restitutionem agrorum omnium impetrem, nec est opus Tribunorum aut legatorum fauore, sed illum ab ipso Augusto petam. MENALC. Desinite grandia uobis promittere, & sperare, quæ sunt inania. Tutius erit, ut cogatis oues, & quæ uobis reliqua sunt, conseruetis diligenter, ne si

turbo aliquis belli rursum ingruat, ut nuper, uniuersus fructus peculij pereat. VIRG. Miror te in tanta ingenij ubertate tam tenue atq; exile carmen pangere. Certe uel immodico tuimet ipsius amore demeritatus es, uel captus alterius amore delyras, ut idem amor & ingenium tibi perturbet, & carmen deprauet. MENALC. Quantum uideo, his, quæ non sunt admodum pinguia & curata, amor non obest. Quare ne obijcias maledictum, ne in te quoq; competat. VIR. Quia uideo nullum futurum finem iurgiorum, alia uia inuicem ludemus. Soluas igitur mihi hanc quæstionem, quo in loco Sol faciat umbram non amplius, nisi trium Vlnarum. Quod si feceris, colam te tanq̃ ipsum Apollinem. MENALC. Tu uicißim solus frueris tua Phyllide, si mihi solueris, ubi nam nascantur flores habentes nomina inscripta regum Aiacis & Hyacinthi. PALAEMON. Non possum iudicium certum ferre, quis uestrum excellat Poësi. Ambo enim digni estis laudibus, & grande meretur præmium, quisquis fauores principium, & curam populi sapienter metuerit, uel despectum, odiumq; pertulerit fortiter.

Ironia

PARAPHRASIS QVARTAE ECLOGAE, QVAE INSCRIBITVR Pollio.

NON dubium est, quin fortasse multorum repræhensionem subeam, quod hic grandiori orationis genere utar, quàm pastoralium sermonum simplicitas per-

permittat. Verum iustis causis compulsus id facio, partim quia alij magis concitato & sonanti, quam tenui genere delectantur, partim etiam, quia Pollioni recens nato in gratiam patris, cum potens apud Augustum sit, & cum primis meum ingenium admiretur, Genethliacon sum decantaturus, aequum est, ut res splendidae & magnificae magnifica & splendida oratione efferantur, ut ubiq; uerba sint conformia rebus. Bene enim sum praecaturus Pollioni puero, quod nascatur felicißimo statu Reipub: nempe, temporibus Augusti, quo regnante redit aureum quoddam seculum, cum eius authoritate, moderationeq;, si quae restant scintillae adhuc ciuilium bellorum, extinguuntur, optimae artes florent, honos est ingenijs, plurimum possunt & apud principem, & in repub: qui optimi sunt. Atq; de tot, tanq̃ praeclaris uirtutibus Augusti, quae uere docent principem & gubernatorem Rerumpub: nulla unquam non solum aetas conticescet, sed etiam propter rempub. bene gubernatam immortalitate donabitur.

Tu uero ò Pollio propter tranquillitatem imperij, quam solam acceptam debemus referre Augusto, uarijs muneribus per totum tuae uitae cursum donaberis. Dum enim adhuc eris puer, terra non subacta feret omnia uitae necessaria. Adferet deinde tibi pulcherrimas herbas, hederam cum baccare, colocasia & acanthum. Praeterea capellae etiam non pastae lac tibi copiose praebebunt, omnia erunt pacata, & tranquilla, uarios flores tibi pueri dabunt, tanquam gratulantes te

tam

tam felici tempore natum, nulla deniq; uenenata herba nocebit amplius. Sed postquam excesseris ex pueritia, & uideris quantam gloriam, quantas laudes consequantur hij, qui res præclaras gerant, quantasq; res pater tuus gesserit, quidq; sit uirtus, non dubito, quin & illa te extimulabit, ut te præclare in hac hominum luce geras. Nam sub tuo consulatu terra fruges per se feret & omnia ultro peruenient. Etsi uero reliquum quiddam erit ueterum malorum, ut auaritia, bellum, famis timor, tamen paulatim tollentur. Non enim tanta erit pecuniæ cupiditas, non tantus furor bellorum, nec tanta amenæ caritas, quanta fuit olim. Deinde erunt tales principes, qualis fuit Achilles.

Postquam autem adoleueris, omnino non amplius erit locus nauigationi, auaritia tolletur, bella non gerentur, desinet agricultura, omnium rerum ubiq; erit magna copia, uineæ non colentur, arbores non putabuntur, arator sinet suos tauros libere uagari, homines non laborabunt, sed tu, qui omnibus rebus afflues, & in omnium rerum abundantia uiues, suppeditabis, quantum singulis sufficiet ad quotidianum usum. Ea deniq; erit tunc felicitas, ut sponte sua colores in ouium uelleribus nascantur, & inter pascendum agni colorentur. Et fataliter ordinatū est, ut talia secula redeant.

Te uero nunc Inuictißime Imperator Cæsar Auguste, qui summa rerum potiris, obsecrare, obtestariq; non dubito, ut cum omnia te expectent, magnamq; spem futuræ felicitatis de te concipiant, hanc susti-

sustinere ac tueri uelis. Subijcias tibi quæso, quod ad Telemachum dicitur apud Homerum, ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. *Vides enim, quàm magno desiderio omnia elementa expectent aureum seculum, quod rediturum sub tuo imperio Sibyllæ uaticinatæ sunt. Atq; utinam Deus mihi tamdiu uitam prorogaret, quoad tuas res præclare in Repub: gestas carmine describerem, ut tua fama ad posteros quoq; dimanaret. In tanta enim copia & uarietate laudis facile uel ipsum Orphea uel Linum superaturum me confido, quorum tamen parentes Musicæ inuentores prædicantur. Præterea ipsi Arcades peritißimi Musici suum Deum tutelarem inferiorem me Poeta iudicarent.*

Tandem uero te ó Pollio Salonine adhortor, ut matri arrideas, idq; facias ea de causa, ut hoc bono præsagio remoueas matri fastidia decem mensium. Optimum enim auspicium putant, siquis circa ortum subito rideat. Arride, inquam, parentibus, siquidem nec Genius, nec Iuno uitalibus auris dignos iudicent illos pueros, qui parentibus suis non arriserunt.

PARAPHRASIS QVINTAE ECLOGAE, QVAE INSCRIbitur, DAPHNIS. Interlocutores autem sunt MENALCAS & MOPSVS.

MENALCAS. *Quia hactenus in ijsdem*

studijs

studijs satis feliciter uersati sumus Mopse, nosq; iam ambo canendi gratia conuenimus, æquum est, ut locum aptum ad canendum eligamus, & aliquid in medium proferamus, quod cum studijs nostris dignum, tum tempori conueniens esse uideatur. Nunc enim est amœnißimum tempus, arbores proferunt fructus, semina erumpunt, aues in aëre concinunt. MOPSVS. Hanc rem tuo iudicio committo. Decet enim, ut tibi natu grandiori electionem loci concedam. Mihi tamen non usq; adeo consultum esse uidetur, ut sub arboribus sedeamus. Quia Zephyri acrius spirantes reddunt umbram arborum inconstantem. Deinde uides antrum circumdatum labrusca aspectu iucundißima, & quæ facile nos inuitat. MENALC. Incipias quæso canere Mopse, siquidem solum Amyntam habiturus sis æmulum, qui tecum congressurus, & de uictoria certaturus sit. Inuictus enim es in illis montibus cantando, nec quisquam inter pastores illius regionis inuenitur, qui tecum in scribendo Bucolico carmine certet. MOPS. Non mirum est, quod mecum contendere audeat, cum sit tam bonus cantor Amyntas, si dijs placet, ut etiam Apollinnem inuentorem Musicæ prouocare non dubitet. MENALC. Hæc missa faciamus, ac recites potius, quomodo Phyllis regina Thracum redeuntem á bello Troiano Demophoontem hospitio susceperit & amarit. Deinde uero cum Demophoon Athenas profectus statuto tempore non redijsset, illa præ amoris impacientia uitam sibi laqueo finierit. Aut si non de-

lectaris

lectaris amorum recitatione, commemora aliquid nobis de laudibus Alconis ducis Atheniensium, qui, cum filius suus á serpente quodam præhensus, & uarijs gyris cinctus esset, tam feliciter telo confecit serpentem, ut non filium quidem iaculo læserit, aut attigerit. Aut si quid habes de Codro rege, qui propter gloriam & patriæ defensionem in acie perijt. Tales enim uiri digni sunt immortalitate, qui patriæ libertatem pluris, quám suam uitam ducunt. Atq; mori honestum illi fuit talia pro patria suscipienti. Iubeo etiam te inter canendum esse bono & præsenti animo, siquidem Tityrus in pascendis hœdis tanq̃ uicarius tibi sit futurus. MOPS. Nihil de illis dicam, quorum tu fecisti mentionem, sed potius commemorabo, quám grauiter omnes ferant interitum Cæsaris, omniaq; sic depingam, ut Amyntam insectatorem meum longe post me reliquisse uidear. MENALC. Quod Amyntæ feci mentionem, non grauius feras, neue aliorsum, atq; ego feci, accipias. Hoc enim tantum á me factum est, ut te magis ac magis excitarem. Nam sicut oliua præstat salici, rosetum salinuce, Ita tu præstas Amyntæ. MOPS. Cum modo in antrum ad canendum á nobis destinatum peruenimus, desinas quæso Menalca multis ambagibus me impedire, quo minus tibi commemorem, quam grauiter omnia ferant tam miserabiliter Cæsarem á coniuratis in senatu confossum esse. Primum enim omnium urbs Roma afficitur summis mœroribus propter ademptum sibi principem, cuius consilijs & institutis stabilita

erat

erat Respub: quiue belli ciuilis incendium deuicto Pompeio restinxerat, qui deniq; excitare conabatur, quæ ipsius belli impetu perculsa atq; prostrata iacere uidebantur. Deinde testantur Nymphæ, testantur arbores mortem Cæsaris peracerbam sibi esse. Praeterea adeo omnia doluerunt, ut nemo pastorum aquatum duxerit pecudes propter luctum, quem eo die, quo extinctus est Cæsar, percæperunt. Leones etiam significauerunt rugitu sibi non exiguum dolorem parere talem principem tot præditum uirtutibus tam immatura morte perijsse. Nec immerito omnia ita contristantur. Ipse enim instituit non solum, ut Lynces & Tygros habentes uersicolorem pellem traherent currum Bacchi, sed etiam Romæ celebrarentur Bacchanalia, in quibus sacrificuli Bacchi circumcurrentes uiteas quasdam hastas ueluti furibundi quatiebant. Atq; hoc est, cur ciues Romani, extincto Cæsare, se præclaro Reipub: ornamento spoliatos putent. Sicut enim Vlmos decorant uites, uites uuæ, greges tauri, segetes arua, Ita etiam Cæsar uiuus suis ciuibus ornamento erat. Iam igitur eo sublato é medio nulla neq; cultura, neeq; pastio in agris est. Insuper frugum semina propter eius mortem in peius degenerant. Sed cum optime de Repub: sit meritus ó pastores, uestrum est, ut hoc extremum humanitatis officium illi declaretis, & iusta ei faciatis. Contendit enim á uobis, ut sibi circa fontes faciatis lucum, nec procul ab illo sepulchrum,

cui

cui addatur Epitaphium, in quo percurrantur eius res præclare gestæ, quàm bene administrarit Rempub. quàmq; semper ciuium potius, quàm suam utilitatem spectarit. MENALC. Quantum tua me oratiuncula delectarit, uerbis aperire neutiquam possum. Ita enim deplorasti Cæsaris mortem, ut hoc tuo carmine Bucolico non minorem laudem consequi, quam Thocritus, quem in hoc opere potißimum imitandum suscepisti, suis Idyllijs consecutus uideatur. Vt autem & ego declarem mortem Cæsaris mihi esse peracerbam, meamq; erga illum obseruantiam testatam reddam, breui uicißim oratione ostendam Cæsarem non extinctum esse, sed uiuere inter deos, neq; luctum istum, & lachrymas, sed hilaritatem ac gaudium à nobis expectare. Ac si fortasse non illa fælicitate, qua tu, depinxero Apothesin Cæsaris, Velim meam operam æqui, boniq; consulas. MOPS. Persuasum habeas nihil te neq; nobis dignius, neq; Cæsari gratius facere posse, quàm si reipsa præstes, quod modo te facturum recepisti. Nec reuerearis doctorum hominum iudicia subire. Honestum enim tibi est celebrare Heroa dignum ingentibus laudibus propter insignia eius in Rempub: merita. Deinde facile est tibi illud præstare, quod peto, propter naturalem impetum. Præterea tua carmina iampridem ab erudito Critico Stimichone sunt collaudata. MENALC. Incredibilem cæpi in animo lætitiam Mopse, quod Cæsar propter Heroicas suas uirtutes, & insignia erga omnes ciues officia in numerum Deo-

rum

rum sit ascitus. Eius enim rebus pro incredibili quadam erga illum beneuolentia magis commoueor, quàm meis ipsius. Nec ego tantum gratulor eum tantis honoribus auctum, sed multo magis syluæ, rura, Pan, pastores, Dryades deniq; mirum in modum exhilaratæ gaudio gestiunt, ac triumphant. Præterea tanta est in terris læticia ob Daphnidis Apotheosin, ut etiam feræ natura alioqui discordes modo inter se pacem agant. Lupi non amplius dilacerant oues, Ceruis non tenduntur retia, eaq; omnia fiunt, quod Cæsar semper, cum in uiuis esset, pacatæ & bene constitutæ reipub. fauerit, & etiam cupiat, ut post obitum suum omnia in terris sint pacata & tranquilla. Verum Deum Opt. Max. precor clementißime Cæsar, ut cum iste honor ultro tibi non ambienti obtigerit ueluti diuinitus, primum tibi, deinde amicis tuis, Reipub. deniq; Romanæ, quam sacrosanctam in omnibus habuisti, perpetuo sit fælix ac faustus. Atq; ut beneuolentiam, memoriamq;, quam tibi debeo, summa cum obseruantia præstitisse uidear, tam tibi, quam Apollini, cuius filius existimaris, binas aras extruam. Addam bina pocula lactis, duos crateras oliui. Deinde in honorem tuum celebrabo conuiuia sana, in quibis optima quæq; uina bibenda proponam. Insuper post oblationes adhibebitur etiam Musica, ut planè nihil desit, quod ad retinendam tuam memoriam perpetuo conducere uideatur. Postremo omnibus animi uiribus annitar, ut si tuis ciuibus fueris Deus propitius, & ipsi uicißim se tibi multum debere fateantur.

MOPS. Oratio, quam modo de Apotheosi Cæsaris habuisti non dici potest, quam iucunda mihi fuerit. Non autem habeo aliquid, quo pro tali officio tibi possem referre gratiam. MENALC. Vt intelligas tuam orationem de obitu Cæsaris uicißim fuisse mihi gratam, donabo tibi hanc fistulam, tanquam arctißimæ nostræ amicitiæ uinculum. MOPS. At dono tibi pedum, propter quod sæpißime me Antigenes sollicitauit. In eo enim nodi sunt facti paribus interuallis, atq; æris uenulis.

APOTHEOSIS DAPHNIDIS ALIIS uerbis commutata exercendi gratia.

Nemo non quidem lugere potest Cæsarem tam crudeliter esse extinctum, propter bonam reipub. administrationem, quam ipse constituit solus, Tamen siquis considerat obeundam esse omnibus ex æquo fatalem illam necesßitatem, inueniet facile faciendum esse lugendi modum, & laudabit perpetuo uetustum illum morem Thracum, qui mortuos tanquam uitæ periculis defunctos lætitia prosequabantur, recens natos quasi malorum Oceanum ingressos eiulatibus comitabantur. Atqui non barbarorum tibi, non externa exempla proponam, sed petitis è sacra scriptura locis, quibus nihil nobis antiquius esse debet, demonstrabo humanam uitam periculis plenam esse, ac uere illos esse beatos, qui soluti his uinculis corporis ad diuorum cætum conuolarunt. Quid Paulus ille Gentium doctor, cum dicit, Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore

re morti obnoxio, Nonne mortem ultro expetit, nos illam fugimus, metuimus, expauescimus, & cum ait, Cupio dissolui, & esse cum Christo, non frustra tanti uiri spiritus sic scribit. Quid omnino in uita est, quod nos magnopere delectet, præsertim cum spiritus nunquam non concupiscat aduersus carnem, caro aduersus spiritum? An uero humana uita est aliud, quam perpetuus cursus (ut idem ille,) donec perueniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei? Quid apertius nostræ sortis miserias, calamitates, ærumnas, scopulos, naufragia exprimit, quam illud positum Geneseos cap. 3. In sudore uultus tui uesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Neq; sanctus uir Iob dißimulare illud, uisus est, Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces. Quæ omnia Mopse in eam sententiam á me dicta sunt, ut insignem Imperatorem Cæsarem non diutius flendum, non plorandum, sed gaudio, lætitiaq; complectendum esse tibi statuas, præsertim cũ eo migrasse illum ob anteactæ uitæ honestatem nihil dubito, ubi parata est inaudita gloria, ubi ciuium beata societas, ubi uerus ille Iustitiæ sol Dominus Deus noster Iesus Christus regnat. Nihil quidem tale ac tantũ (Cæsar in terris reliquit, quo uel minima in cœlis porcio sit nõ omni cogitatione maior. Ille nos, se natumq; totũ Romanum itaq; de cœlo illustri & alto Stellarum loco sic alloquitur. Propinqui mei, quibus arctißimo sanguinis uinculo iungor,

Tuq; imprimis Respub. Romana, cui tam charus in uita, iucundusq; fui, & reliqui, ad quos fama, nomenq; nostrũ peruenit, omittite quæso lachrymas, temperate á fletu & suspirijs, ac potius inflari tibias, concini tubas, hymnosq; celebrari procurate. Viuo enim nunc uere inter beatos, quo nisi de repub. bene meriti recipiuntur. Viuo, antea apud uos mortuus, oculo tantum cernens corporeo, nunc cælesti ea perspiciens, quæ nisi exuti corporibus attingere non potestis. Equidem uobis gratias ago, & uniuersæ Reipub. quod tam celebri me Pompa extuleritis, tam eximio apparatu exequiarum (more gentili) tot facibus, tot cereis decoraueritis. Agnosco studium & beneuolentiam, quam uiuo tribuistis, defuncto quoq; uos singulari pietate impartiuisse. Quare tibi Antoni, qui me cum in terris essem, in oculis gerebas, fælicia tempora comprecor, reliquisq; meis successum, toti urbi Romæ incolumitatem, uestriq; beneficij memor inter maiorum manes fæliciter quiescam. Hæc in honorem Cæsaris tibi commemoraui, qui propter ingentia in Rempub. beneficia est dignus æterna memoria. Quis autem tam ferreus est, tam Saxeus, tam omnis humanitatis expers, si Heroicas Cæsaris uirtutes ob oculos ponat, si orbatæ Reipub. luctum memoria repetat, si tot clarorum uirorum desideria intueatur, si tot astantium bestiarum lachrymas consideret, qui non idem nobiscum in mœstissimas uoces erumpat, & nostrum luctum suum esse ducat. Ea est humanæ uitæ conditio, ea sors, ea imbecillitas.

PARAPHRASIS SEXTAE ECLOGAE, QVAE INSCRIbitur Silenus.

QVanquam propter eximias & prope diuinas tuas uirtutes ingenij Vare, resq; á te præclare gestas mereris Heroico & amplo quodam genere carminis celebrari. Tamen non mirum uideatur id me non præstare, sed potius in tenui & Bucolica materia uersari. Primum enim cum non contentus humili argumento, cœpi conscribere historiam & res gestas regum Albanorum, nec tamen argumento tractando uires mei ingenij sufficerent, mox Augustus, cuius auspicio & fauore ingressus sum hoc genus studij, me mei officij admonens obiurgauit suauißime, ut omissa grauitate materiæ, cui par non essem, redirem ad illud argumentum, in quo etiam cum maxima mei nominis laude uersari possem. Ne igitur summæ Augusti auctoritati detrectasse aliquid uidear, mandatum exequar, nec spero te id moleste laturum. Alij enim Poetæ restabunt, qui imagines tuæ Poetices, laudumq; non solum ad intuendum, uerum etiam ad imitandum expressas relinquent posteris & triste bellum, quod aduersus Germanos geßisti, literis sunt mandaturi. Et tamen quicunq; ductus aliqua uoluptate & beneuolentia mei inciderit forte in hoc carmen nostrum Bucolicum, is profecto reperiet tuas uirtutes á me prædicari. Et sic statutum habeas, quod etiam Augustus nulli carmini adeo faueat, quám ei, in quo tuæ uirtutes celebrantur. Scriptu-

rus ergo, q̃bus primũ illecebris capiãtur Epicurei, dein de qualẽ cãtilenã Silenus cecinerit, uos Musasquarũ hoc munus est ꝓpriũ, et q̃ uatibus præsidetis, inuoco oroq;, ut hæc me edoceatis, quæ mox docere ipse alios poßim.

Nuper duo Satyri Chromis & Mnasylus, quos in Venerem procliues & salacißimos credidit antiquitas, uiderunt Silenum Bacchi nutricium & pædagogum, Deum ebrium & semper temulentum in antro dormientem. Iuxta eum serta (quibus ornati ueteres solebant potarẽ). In pariete pendentem cantharum frequenti bibendi usu attritum. Postquam uero sopor eum oppreßit, ambo accedentes sertis eum uinxerunt, propterea quod fidem suam apud illos non liberarat. Promiserat enim illis carmen de uita Epicurea. Vt deniq; nihil desit, quod bestialem illam uoluptatem relinquat imperfectam, acceßit Aegle formosißima Nympha, cui Deus bene potus minatur stuprum, quod eum uinculis ligasset. Deinde Satyris, quibus promiserat carmen, satisfaciebat, & incipiebat canere pulcherrimum carmen de doctrina Epicureorum. Cum autem caneret, fauni, feræ, quercus deniq; significationem quandam lætitiæ exhibuerunt, quam ex illius cantilena hauserant. Nec Orpheus fuit in tanta admiratione, cum caneret ad Rhodopen & Ismarum Thraciæ montes, In quanta fuit tum iste Silenus. Canebat enim ad certam quandam mensuram, ut atoma indiuidua corpuscula & semina per inane uolitantia applicuissent se in ordinem, quibus temere inter se conglobatis uniuersa gignuntur, & crescunt. Deinde ut omnia ex quatuor

elementis ueluti principijs sumpsissent originem, & cōposita essent, quomodo terra esset cōdita, & aquas à se separasset, quales deniq; figuras homines, arbores, et reliquæ bestiæ cōceperint. Canebat etiam ortū & occasum solis ac Syderū, præterea pluuiarum & tempestatum rationem, postq; Solem & pluuias, creatas esse syluas et bestias. Cecinit etiam diluuiū factum in Thessalia Pyrrhæ & Deucalionis temporibus. Addebat his quædam de aureo seculo, quod fuit sub Saturno, quo regnante omnia erant tranquilla & pacata, florebant artes, uigebat honestas. Tū etiā, quomodo Prometheus propter ignem Ioui sublatum in monte Caucaso Saxis à Mercurio sit alligatus adhibitis aquilis, q̃ perpetuo renascens eius iecur exederent. His adiungit, quomodo Hercules iusserit Hylam sociū suū clamoribus quæri, quē amiserat in fonte Bithyniæ. Ad hæc cecinit Silenus de impudicißimo Pasiphaēs amore, quo accensa erat erga Taurū, & quomodo cū eo cōcubuerit, & turpiter se dederit, ita ut Proēti regis Argiuorū filiæ non tantū scelus cōmiserint, tametsi in eam insaniam lapsæ sint, ut se uaccas esse crederent, propterea quod Iunonē præ se cōtempsissent. Misera enim Pasiphaē præ nimia impacientia amoris modo paßim uagatur in syluis, cū tamē Taurus eius alibi quærat pabulū, nec illius amore capiatur. Præterea adeo sollicita est de Tauro, ut etiā Nymphas nemorū roget ad saltus claudēdos, ne Taurus aufugiat, utq; clausis nemoribꝰ eius uestigia inueniāt, qbus inuētis eū psequatur. Tū canit, quomodo Atlāta Schœnei filia cursu sit supata ab Hippomene quodā

Megarei filio, qui eam remorabatur malis aureis inter currendum subinde ante uirginem proiectis. Addebat etiam, quomodo sorores Phaëthontis, cum luctuosum casum fratris lugerent, in alnos sint transmutatæ. Præterea, quum Cornelius Gallus peruenerit in montem Heliconem, & hauserit spiritum quendam, ex quo factus sit Poeta, & qualem honorem ipse Apollo, Musæ deniq; omnes habuerint Gallo, facilitatemq; scribendi carmen ei dederint non aliter, atq; Hesiodo, qui agnos pascens ad Heliconem montem accepisse fertur à Musis ramum lauri, quo accepto ab ijsdem factum esse illum tam bonum & excellentem Poetam, ut suis carminibus Saxa & ornos ad se pertraxerit. Quod certe non de Saxis intelligi tantum debet, sed potius de hominibus, quos ille insignis Poeta suis scriptis aut dispersos unum in locum congregauit, aut à fera, agrestiq; uita ad hunc humanum cultum, ciuilemq; deduxit. Tandem, ut omnia complectar, canebat etiam Silenus de Scylla filia Nisi regis Megarensium, quomodo nocturno tempore paternum thalamum adierit, & crimen ei præsciderit, à quo regnum patris, & patriæ salus pendebat, & per medios hostes paternum crimem regi Minoi obtulerit. Postremo cecinit de Scylla Phorci filia, quæ uersa est à Circe Glauci precibus primum in marinum monstrum, postremo in Saxum, quod sæpius Vlyßis naues unà cum socijs suis uexauit. Addidit etiam, ut Progne uxor Terei Ityn filium necatum propter stupratam sororem Philomelam proposuerit uiro epulandum.

pulandum. In ſumma, cecinit omnia, quæ Eurotas o-lim à Phœbo canente audiuit, & tam diu hoc fecit Si-lenus, donec ſol occidit, & in cœlo apparuit ueſper.

PARAPHRASIS SEP-TIMAE ECLOGAE, QVAE INSCRI-bitur MELIBOEVS. Interlocutores autem ſunt Melibœus, Corydon, & Thyrſis.

MELIBOEVS. Cum forte Daphnis animi relaxandi cauſa ſub arbore conſediſſet, ad eundemq; locū Thyrſis & Corydon ſuas pecudes compuliſſent, ut ibi inuicem de uictoria carminibus certarent, utqui ambo iuuenes, nec ſolum ſtudioſi Muſicæ erant, ſed tan-tum etiam in eo ſtudio profecerant, ut alternatim de quacunq; materia canere parati eſſent, accidit eo tem-pore, ut meus caper (dum ego myrtis ad captandum frigus umbraculum facio) deerraret, quem cum ſeque-bar ego, tandem ad Daphnidem perueni, qui me obni-xe rogabat, ut, ſi mihi ocium eſſet, apud ſe manerem, partim propter amænitatem loci, partim etiam, ut pa-ſtorum certamini intereſſem, illiq; palmam, qui uince-ret, deferrem. Ego uero etſi aliud erat, quod domi a-gerem, tamen paſſus ſum me perſuaderi à Daphnide. Illos igitur ſequentes uerſus, quibus inuicem certarunt, memoriæ mandaui, ut alijs commemorarem. Atq; Co-rydon primum ſic exorſus eſt. CORYDON. Quo-

 niam

niam mihi cum Thyrside de Victoria concertandum est, rogo & obsecro uos Musas, quarum semper fui studiosißimus, ut me ea felicitate scribendi carmina affletis, qua olim Codrus à uobis afflatus fertur, qui Phoebo neutiquam credebat. Quod si me non adiuuabitis in hoc certamine, abijciam hastam, cedamq; aduersario. THYRSIS. Ego autem admoneo uos pastores Arcades, ut me, qui primum hæc studia poetices ingressus sum, ornetis hedera nullam aliam ob causam, quàm si uicero, ut Codrus me uicisse dicat. Aut si me nimis præter suam sententiam laudauerit, ornetis me baccare, ut contra obtrectatorum uenenatas linguas præsentißimum remedium habeam. Non enim dubito, quin multi meæ laudi nascenti inuideant. CORY. Tibi quidem ô Diana Dea uenationis Mycon offert caput apri, & cornua cerui. Ego uero, si mihi concesseris, ut scribam uersus Codro similes, marmoream statuam tibi decernam. THYR. Vt tamen à me quoq; accipias munera Priape, sinum lactis & liba quædam tibi offero, nuncq; prout meæ opes tulerunt, marmoream statuam posuimus. Deinde uero, ubi agni bene prouenient, inauratam ponam. CORY. Si unquam Nerine Galatea, qua non est in tota rerum uniuersitate formosior, tibi mea officia grata fuerunt, meiq; aliquo tenearis amore, uelim, ut uesperi ad me uenias. THYR. Ita me Dij non ament, si hæc dies propter absentiam amicæ non uideatur esse longior anno. CORY. Cum tantus sit solis calor, uestrum est officium fontes & arbo-

res

res, ut pecus nostrum à calore, quoniam æstas iam instat, summo studio defendatis. THYR. Tu quidem de calore æstiuo ualde sollicitus es, cum ego potius frigus curare deberem. Scias autem me prorsus nihil esse de frigore sollicitum, siquidem focum habeo. CORY. Omnia iam summam læticiam præ se ferunt, eò quod consuetudine Alexidis perfamiliariter utimur. Et tanta est pax arboribus, ut nemo uel fructus sponte sua de arboribus delapsos audeat surripere. Si uero Alexis abeat, propter eius absentiam confestim sequetur ruina & tristitia omnium rerum. THYR. Omnia nunc nimio calore Solis, aut pestilentia aëris corrupta exaruerunt. Redeunte uero Phyllide omnia florebunt & postea large pluet, ita ut omnes herbæ facile suas uires calore amissas recuperent. CORY. Quanquam Hercules unice delectatur arbore populo, Venus myrte, Phœbus lauro, Tamen dum Phyllis amat Corylos, delectabor & ego plus Corylis, quam cæteris omnibus arboribus, ut inter nos uoluntatum, studiorum, sententiarum summa sit consensio. THYR. Præ tuis arboribus, quas laudasti, magnificio Lycidam, in cuius familiaritate & amicitia unice acquiesce. MELIBOE. Hos, quos modo commemoraui, uersus ambo pastores cecinerunt, unde facile est colligere in hoc certamine uictum esse Thyrsim. Ideoq; Corydoni palmam Poetices defero spretis præ illo alijs omnibus æmulis, qui ingenio, laudiq; eius inuident.

ECPHRA-

PARAPHRASIS

ECPHRASIS ALLEGORICA IN eandem Eclogam. Interlocutores autem sunt, Virgilius, Gallus Poeta, & quidam æmulus.

VIRGILIVS. Cum amicus Cæsaris Augusti quidam & eruditus uir se in quietum locum Romæ contulisset, eoq́; conuenerant duo Poete insignes ætate & Poesi, eo tempore dum deditus quoq; sum studijs Musarum mansuetiorum amisi præcipuam partem patrimonij. Ea causa Romam ueni, & cum mihi euenit colloquium cum isto erudito uiro, & summo amico Cæsaris, iußit me de amißis agris esse bono animo. Omnia enim non solum, quæ perdidi, sed id, quod adhuc poßideo, mihi fore saluum. Deinde rogauit, ut si domo possem aliqyandiu abesse, nec haberem illic negocium, quod eò me necessario reuocaret, quiescerem Romæ in ocio & tranquillitate animi procul à litibus & iurgijs. Omnia enim negotia ultrà eò confluxura, ut decidantur, Ibi affuturum principem ipsum & ductores omnes copiarum, ipsum quoq; Arrium Centurionem expulsorem meum, omnia, me ibi reperturum & confecturum ex animi sententia. Ego uero etsi neminem domi haberem, qui rem meam familiarem custodiret, Tamen passus sum me ab illo erudito uiro persuaderi, ut interessem certamini potius, quod exortum erat inter potentes illos Romanos uates de ingenio & eruditione, quàm omnem circa rusticum cen-

sum

ſum diligentiam adhiberem. Erat enim certe uatibus certamen ſpectatu dignum, & præ quo merito eſſet cura domus meæ negligenda. Sequentes igitur uerſus, quibus inuicem contenderunt, memini. Atq; Gallus inſignis Poeta ſuum carmen in hunc ferme modum exorſus eſt. GALLVS. Cum mihi iam ſit certandum cum æmulo meo de ingenij præſtantia, & eruditionis excellentia, imploro ueſtrum auxilium Muſæ, quarum hoc eſt proprium, ut mihi impetum naturalem & furorem Poeticum immittatis ad carmen eiuſmodi componendum, quale olim Codro maximo & probatiſsimo Vati conceſsiſtis, qui propter excellentiam Phœbo neutiquám cedere ſtatuebat. Quod ſi uero non uultis mihi in hoc certamine ſubuenire, libenter cedam uictus. AEMVLVS. Ego uero hortor uos reliquos Poetas, ut me, qui propter Poëſin incipio eſſe in magna admiratione, ornetis hedera, ut ſi uicero, Codrus me uiciſſe dicat. Sin autem coactus me laudauerit, ornate me baccare, ut faſcinationes & malas obtrectatorum linguas auertere poſsim. GALLVS. Tibi quidem Diana Mycon ex agreſti pietate offert caput apri & cornua cerui. Ego uero marmoream ſtatuam tibi ponam, ſi mihi conceſſeris facultatem ſcribendi carmen, quale Codrus ſcripſiſſe fertur. AEMVLVS. Ne tamen erga te quoq; ingratitudinis inſimulari poſsim Priape, offero tibi ſinum lactis, & quædam liba, idq; tantum ea de cauſa, ut quædam memoria meæ erga te gratæ mentis extet, & nunc prout res meæ tulerunt, marmo-

marmoream statuam in honorem tuum locauimus. Deinde uero, ubi tot agnos habuero, quot oues habeo, inauratam statuam decernam. GALLVS. Si unquam Auguste, quo mihi non est charior alter, nos praecipuos amicorum tuorum amas, des uelim hoc nostrae amicitiae, ut primo quoq; tempore redeas Romam, cum primum bello finem imposueris, & exercitum deduxeris in agros. AEMVLVS. Crede mihi, quod non solum opto reditum Augusti, sed etiam absentiam eius non possum diutius perferre. Vtinam quiesceret á bello & negocijs, ut eius alloquijs, & fauore frui mihi liceat. GALLVS. Cum uideam distribui iam agros in isto bellorum furore, imploro uos amicos Octauij Caesaris, ut mea bona defendatis contra uim armorum. Mirum enim in modum in hac perturbatione rerum mihi, meisq; bonis metuo. AEMVLVS. Tu quidem ualde es sollicitus, ne eripiantur tibi tua bona. Ego uero abundo opibus, & quia floreo amicitia potentum, non metuo calamitatem ullam, aut ad uersos casus, imó negligo, ac pro nihilo habeo. GALLVS. Praesentia Asinij Pollionis omnia iam sunt tuta, quieta, florentia, iucunda in Insubria & Padana regione, cum ille praefuit. At si is discedat, arescent uel ipsi fluuij. AEMV. Omnia quidem sunt tristia nunc propter absentiam Augusti Caesaris, cuius aduentu exhilarescent campi, & erunt pacata omnia. GALLVS. Etsi alij Dij alijs rebus delectentur, aut faueant, unde ijs ipsis rebus honos & precium est, tamen interea dum Octauio Caesa-

ri placuerit Poesis, plus in ea erit decoris, quam in reliquis artibus. AEMVL. Nihil est, quod tantis laudibus euehas Poesin, ego ingenue fatear, quod magis optem mihi honorem potentum, à quibus colar ac uisiter, quàm summam Poeseos laudem. VIRG. Hoc argumentum, quod modo à me recitatum est, memini illos duos Poetas tractasse, & quia Gallus deos ueneratus, & à pietate suum carmen exorsus est, merito uictoria est penes Gallum.

PARAPHRASIS OCTAVAE ECLOGAE, QVAE INSCRIBITUR Pharmaceutria. Interlocutores autem sunt DAMON & ALPHAESIBEVS.

CVM mihi semper tua beneuolentia erga me, & munificentia in propagandis studijs, fouendisq; præclaris ingenijs satis iam satis cognita atq; perspecta esset, Auguste Cæsar clementißime, non potui facere, quin & te in hoc meo Bucolico carmine ornarē, posteritatiq; commendarem, præsertim cum te mihi principem & ad suscipiendam, & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse uideam. Quanq̃ autem res tuæ præclare gestæ Tragicum orationis genus requirant, tamen spero te boni cōsulturū esse, ubicunq; es loci, hæc mea carmina exili genere scripta, in q̃bus descripturus sum, quomodo Damō et Alphesibœus mutuis querelis certantes, suauitate cātilenæ suæ nō solum

ſolum ea animalia, quæ paſcendi auidiſſima ſunt, pabulorum obliuiſci coegerunt, ſed etiam Lynces ſæuiſſimas beſtias placarunt, & flumina remorati ſunt, ne curſum ſuum diuinitus ordinatum perficerent. Damon igitur mane, ut qui per totam noctem cruciarat ſe recordatione calamitatis tandem in has erupit lamentationes.

EXORDIVM ALIIS VERBIS *commutatum.*

IN *animum meum induxi. Inclyte Cæſar Auguſte, referre carmina ſeu cantilenas quaſdam duorum quorundam nobilium, & inſignium in arte canendi artificum, elegantes ſanè eas, atq; auribus tuis non indignas. Nam maxime eos ualuiſſe canendo, & mirabiliter præſtitiſſe oportet, qui bruta etiam animantia & immanes beſtias, resq; ſenſu prorſus carentes mouerunt, & nouo quodam atq; inſolito motu affecerint. Feruntur & Vallæ, Alpheſibæo & Damone cantantibus, ſtudio atq; audiendi cupiditate paſcuæ omnino oblitæ, & crudeles beſtiæ, humani affectus alioqui prorſus expertes, noua quadam ſuauitate & dulcedine cantus mirabiliter captæ dicuntur. Quin & flumina à curſu ſuo ceſſauerunt, atq; ad horum cantum immota ſteterunt. Tu igitur, Maxime Cæſar, tam inſignem illorum & nobilem cantilenam referentem me benigne precor audias. Et quodcunq; mare transnauiges, aut ubicunq; iam ſis locorum, permitte,*

ut in rebus tuis secundis, & inter splendida tua negotia, summosq; honores, etiam huic meo carmini aliquis apud te relinquatur locus. Et quemadmodum alias Eclogas, sic etiam istam propitius & candide suscipias oro. Erit enim ut aliquando pro isto munere, atq; pro isto beneficio, si scilicet benigne me audieris, tua quoq; egregie facta, & nomen tuum decusq; ad omnes homines per totum terrarum orbem, & ad ipsum usq; cælum scriptis meis feram. Præter cætera enim tua nobilia facta sunt digna, ut augustiore carminis genere perscribentur, & res tuæ, laudesq; elegantiore aliqua, splendidioreq; orationis forma, quàm aliorum, insigniri & ornari merentur, ea scilicet orationis maiestate & grauitate, qua laudatißimus & grauißimus Poeta Sophocles usus est. Non igitur multum noctis adhuc instabat, sed iam iam nox Soli cedens orbem terrarum erat relictura, cum misero sese discrutians & affligens amoris impotentia Damon sic cœpit conqueri.

SEQVITVR QVERELA DAMONIS.

Quanquam sæpe antea ad Diuos ipsos frustra retulerim, á me abalienari amicam meam, & supplici prece obsecrauerim, ut respicerent me miserum, atq; in amore meo me adiuuarent, eamq; stabili mihi connubio coniungerent, propriamq; dicarent, quam tantopere cupio uxorem, Tamen antequam moriar, denuo diuorum aures sollicitabo, precesq; meæ iterum ad Deos ipsos extabunt, & querelam atq; expostulatio-

nem, sed eam planè pastoralem & rusticam hanc insiituam ultimam. Quemadmodum mons ille Arcadiæ Mænalus semper, quibus gaudet atq; delectatur, nemoribus fruitur, & uarias, omnigenasq; arborum formas nutrit, quin etiam multas multorum amatorias cantilenas, uel ipsum deniq; Pana canentem, nihilq; non lætum audit. Sic contra amore ego torqueor, & nihil est usquam, quod consolari afflictum me poßit. Nam me spreto & contempto, alteri se adiunxit Nisa, quam unice dilexi, & quam mihi uel solam ex omnibus alijs uxorem expetiui, cuius nunc miseræ & infælicis sortem ultro etiam doleo, & eius me miseret. Nam posteaquam se à me segregaret, nec prorsus uellet, aut posset carere uiro (id quod plærunq; accidere solet, ut cum in omnibus alijs rebus delectus ferè subdifficilis esse soleat, tnm maxime illa puellarum stulta atq; inepta in deligendo procacitas atq; insolentia, siquando euenit, ut plures eandem ambiant, illum, qui est incommodior, admiretur, amplectaturq;) Mopso cuidam horrido, inhonesto, atq; deformi, seq; prorsus indigno nupsit, ubi adeo nulla est similitudo, nullaq; æqualitas, ut dicas Gryphes ipsos cum equis, Damasq; cum canibus magis conuenire. Age igitur nunc Mopse, age, para iugales tædas, atq; alia, quæ fert consuetudo, cura ut fiant. Iam enim aduesperascit, iam tibi cum sponsa tua lectus iugalis petendus est. ó factum bene cum Nisa, quod, posteaquam illam mei pœnituit, tam inhonestum atq; deformem nacta sit uirum. Digna dignæ euenerunt

nerunt, huic nimirum patellæ dignum contigit operculum, similes spero ista labra lactucas habitura. Egregie sanè ultus est Deus, atq; grauius quidem deinceps ulciscetur istam tuam superbiam, atq; istam tam insignem iniuriam, quæ me insignem licet & egregium Musicum præ Mopso tamen duro illo & barbaro atq; incondito homine contempseris, præterea qui non facile cuiuis nec formæ præstantia, nec opum excellentia cedam. Memini equidem, cum paruus adhuc adolescens, primum in te ò Nisa deperire cœperim, & in amorem tui inciderim (Eram enim ferè tum grandiusculus, sic ut arborũ ramos attingere à terra poteram) sæpe ego te, id quod probe adhuc recordor, in horto nostro cũ matre poma legere uidi, sæpe etiam ego comes uester, introduxi uos. Vbi equidem statim, postq̃ uidi te, amore tui correptus sum. Illud mihi primũ initium fuit huius mei erroris atq; insaniæ, prima ista interitus mei causa fuit. Ah miser ego ac demens nũc demum maxime meo incommodo, atq; etiam uitæ meæ dispendio, amoris incõmoda experior. Quicunq; enim sit iste puer, nõ credo istũ quidq̃ habere cũ homine cõmune, nihil humanũ, nec humano sanguine natũ esse, sed potius in ultimis & extremis terrarũ locis, durißima quadã & planè saxea stirpe genitũ crediderim, ubi nulla humanitas, nec ulla pietas culta est unq̃, id q̧ horribilia & inhumanißima exempla satis indicant. Ex isto enim uesano amore miseræ matri Medeæ suus est abominandus ille, & execrandus error, illaq; inhumanissima

ſima inhumanitas, quod filios ſuos ferro aggredi, & miſerabiliter mortem illis inferre auſa ſit. Neſcias, uter inhumanior ſit, & magis crudelis, amor ne, an mater illa, hoc certum eſt, quod uterq; ſit ualde crudelis. Cæterum non poſſum non recordari iſtius impijßimi Niſæ puellæ facti. Nam iuxta commune prouerbium, ubi quis dolet, ibi manum habet. Semper mihi in animo, &, ut ſic dicam, in mentis oculis Niſæ nuptiæ cum ſpurcißimo & ad prodigium uſq; monſtroſo & deformi homine Mopſo uerſantur. Cum rei indignitas perinde inepta & abſurda mihi, atq; monſtroſa eſſe, atq; planè contra naturam uidetur, atq; ſi lupus fugiat oues, qui tamen natura infeſtus eſt ouibus, & potiſſimum eas ſibi in prædam expetit, uel ſi inuerſa rerum natura, aureis pomis redimitæ atq; ornatæ quercus exultarent, alni narciſſo flore inſoleſcerent, Humiles autem, fragileſq; & aridæ myricæ pingue ex ſeſe emitterent, uel, ſi naturæ ordine mutato, ignobiles Vlulæ cum oloribus, quorum cantilena dulcißima eſſe & ſuauißima fertur, cantando certarent. Deniq; quia mihi tam infæliciter meus amor ſuccedat, ut mihi in eo ſit pereundum, omnia naturali ſua conditione exuta & immutata peſſum eant optem, omnia obtegat & abſorbeat mare. Hoc munus extremum à me ô Niſa habeto, quod à te tam indigne ſpretus & contemptus, ultro mihi mortem accerſam, inq; mare præcipitem me dem. Hoc Damonis funeſtum & miſerabile carmen, hæc illius iam iam morientis ſuper infælici ſuo

amore

amore fuit querela. Nunc quæ ipse Alphesibæus contra cecinerit, ò Maxime Auguste Cæsar accipe.

SEQVITVR RESPONSIO ALPHESIBOEI.

NON dubito, quin ea sis pietate prædita Amarylli, ut ultro memineris, quantum mihi debeas, apud quā scis quàm fuerit semper tibi iusta, clemensq; seruitus, Tamen officij te admonere uisum est, ut intelligeres uenisse tempus, quo mihi abunde magnam gratiam reddere queas, si id negocium, quod fidei tuæ committam, probe curaueris. Scis enim, quanto amore Daphnidis flagrem, quem non nisi incantationibus, Pharmacisq; peruertere, & in amorem mei allicere possum. Effer igitur aquam fluuialem potißimum, qua me lauem, ut sine omni immundicia & pollutione sacrificem. Deinde uictimam circunda uitta uenerea, cui hoc sacrum fiet. Quod ubi feceris, incende (ut fiat fumigacio) uerbenam, qua perunctos Magi putant impetrare amatores, quæ uelint, amicitiasq; contrahehere, uerbenæq; adde thura, quæ intus sunt pinguia, & cum frangantur, suauem odorem edunt. Nam Magorum lex est in amore, beneuolentia, & aliquo bono opere, bona, redolentia, & pretiosa fieri suffumigia. Hæc omnia à te fieri uolo, ut magicis istis sacrificijs Daphnidis animum, qui hactenus nondum expertus est uim amoris, immutem adeo, ut posthac me ita amet, quemadmodum me antea spreuit. Atq; ad hanc rem, ut uideo, conficiendam tantum opus est carminibus,

 im-

imprecationibus, & consecrationibus. Tanta enim uis inest carminibus, ut homines ijs Lunam é cœlo deduci posse credant. Deinde Vlyßis socij, quia inescati dulcedine cibi & poculorum Circes, neq; patriæ, neq; coniugis, neq; suauißimorum liberorum memores, turpissime deserto principe procul á patria persistere uoluerunt, & immutati sunt incantationibus Circes in beluas, ursos, apros, canes. Præterea uideo angues, qui propter uenerem hominibus noxij sunt, Tamen sæpe incantatri, ut rumpantur. Cum itaq; res se sic habeat, addo aliam ligationem, quæ fit numero & imagine. Vt enim poßim implicare & obturbare mentem Daphnidis, circundo altaria tribus licijs, quorum quodlibet habet diuersum colorem, & effigiem Daphnidis ceræ impressam circũ altaria ter fero, eam præsertim ob causam, quod quæ ter facta sunt aut dicta, á priscis rata & firma habeantur. Deinde connecte Amarylli fila triplicis coloris, & singulis, adde ternos nodos. Sic deniq; opto animum Daphnidis mollescere, ut ceram, Deinde quoq; iudicari (ut in amore perseueret) ut igni admotus limus durescit. Non enim satis est conciliare sibi alicuius amicitiam, sed danda est etiam opera, ut amicitia alatur & confirmetur. Asperge etiam molam, & lauros diuino igne consume. Laurus enim incantamentis adhiberi solet (ut scis) quod scilicet amorem semper uegetum, & efficacem esse uelint, perinde ac laurus perpetuo uirens. Atq; ut me excruciat & urit Daphnis, sic ego hanc laurum in

Daph=

Daphnidis imagine uram, ut retraham eum in mei amorem, siquidem laurus in maleficijs amatorijs incendi cõsueuit, quasi quæ crepitibus suis amantiũ querimonias representat. Vtinam autem sic capiatur mei amore Daphnis, ut bucula tauri, cũ paßim peruagando nemora & quærendo taurũ, fessa in herba prope aquam procumbit, nec cogitat præ desiderio redire domũ. Crede mihi, si uoti compos fierem, non uellem Daphnidi incantãdo mederi, eumq; incãtationibus liberare. Quod si hæc nõ sunt efficatia, exuuias, quas ipse tanq̃ testes sui erga me amoris reliquit in ipso limine mearum ædium suffodiam, ut mihi eum restituant. Has autem herbas, ex quibus facile fiant Philtra, atq; Venena hæc in ponto lecta, mihi dono dedit Moeris summus in Magia artifex, quæ tantã uim habent, ut omnia inferiora peruertere & permutare poßint. Vidi enim sæpe his Moerin mutatũ esse in lupũ, uidi his animas sepulchris excitas, uidi deniq; sæpe his aliò traductas messes. Vt igitur meum sacrificium finiam, fer Amarylli cineres in riuum fluentem, qui in sacrificio seu suffumigatione superfluerunt, & uide ne respexeris, cum trans caput ieceris. His incantamentis experiar, an poßim Daphnidis amorem mihi conciliare, qui neq; Deos, neq; incantationes curat. Sed bonum est omen, quod cinis sua sponte succensus sit, priusquam à te effertur, Tum etiam latrat Hylax canis in limine, sub quo Daphnidis uestes reconditæ sunt. Nec dubito, quin adsit Daphnis, nisi putem id esse, quod non est.

Sed desinam, quoniam Daphnis ardentißimis uotis expectatus iam redijt.

PARAPHRASIS NONAE ECLOGAE, QVAE INSCRIbitur Moeris. Interlocutores autem sunt Lycidas & Moeris.

LYCIDAS. Nisi me animus fallit, non abs re est, quod ita prosternato animo incedas Moeri. Quare si non molestum est, uelim ut mihi aperias, quo tendas, aut ita properes? MOERIS. Quia te ex amicorum meorum numero non immerito uel inprimis & colo & ueneror, durum mihi admodum uidetur tibi iusta petenti non obtemperare, meiq; doloris rationem ostendere, partim ut meo malo iuxta afficiaris (Sunt enim κοινα φίλων ἄχη), partim ne me neglectæ aut prorsus oblitæ amicitiæ insimules. Scis autem Lycida in ueterum colonorum exturbatione & Virgilium suas poßeßiones amisisse, & intercedentibus multis bonis pro ipso apud Augustum, eas iterum recuperasse. Quæ res mira me, herumq; meum læticia affecit, adeo ut nunq̃ cogitauerimus huic gaudio aliquam ægritudinem interuenire posse. Profecto enim est, ut puto, omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atq; humiles sumus. Sed quid fit? Licet herus meus commendatione ingenij suos agros recepit, Tamen nescio, qui fit, quod

quod in ciuilibus dissensionibus honestis studijs penè nullus locus relinquatur. Nam Arrius Centurio, cui prius heri mei agri ab Augusto aßignati erant, ægre= ferebat Virgilio esse restitutos, & tentabat omnibus modis, ut eum interficeret, quod sanè factum esset, si non Arrio cedere de agrorum poßeßione, quàm cum eo in iudicio contendere maluissemus. Hic igitur præter o= pinionem eiecto Virgilio poßidet eius bona, idq; man= dauit, ut sibi hœdos muneris uice aliquot Mantuam afferrem. Hinc ego perturbor, hinc crucior grauius, quod ista calamitas impræmeditatum oppreßit. Non enim tam molestè ferrem hanc seruitutē Arrij, si (quo= niam omnibus hominibus commune periculum est se= cundas & aduersas res habere) in secundis rebus ad= uersa prospexissem, & uitam humanam considerasse= sem, ne mihi inopinanti aliquid accideret, siquidem perturbationes etiam grauiores fiant, si impræmedi= tantes nos subito inuadunt. Iam uero mi Lycida quis conuictus, quæ amænitas, quæ confabulatio esse pote= rit, quæ mihi dolorem animi mei uel lenire saltem, non dico tollere poßit. Et uel inde æstimari potest, quàm grauißime hoc malo afficiar, quando tam ineptus sum, tam prolixe conquerendo. Vides enim querelarum improbarum nullum finem fieri. Sed quæ tua humani= tas & neceßitudo animorum nostrorum uetus est, condonabis credo mihi facile, nec uicio uertes. Neq; enim ignoras, quid ille dixerit, Amicus alter ipse. LY= CIDAS. Merito quidem dolori tuo indulges, qui tan=

tius est, ut nemo facile eum tecum æstimet. Sed æquo animo ferendum est, quoniam id, quod factum est, infectum fieri non potest. Audiui quidem amicorum precibus Virgilium suas possessiones iterum ab Augusto recepisse. Quod uero addis in querela, herum tuum pene ab Arrio Centurione occisum fuisse, nisi cessisset bonis, hoc mihi sollicitudinem non exiguam parit. ô scelus, potest ne in quenquam cadere tanta audacia, ut interficere Virgilium diuinum Poetam statueret, quod prorsus ab omni humanitate est alienum. Manifestum enim est Poetas res grauissimas in suis Poematis complexos esse. Id uero ita esse, licet experiri quoq; in nostro Poeta Virgilio. Quid enim in Georgicis agit, quàm quod tradit præcepta agriculturæ, & Physico modo res in natura admirabiles depingit? Nam sæpe causas naturales tempestatum & aliarum rerum commemorat. Quid in Aeneide proponere uoluit nobis, nisi hominum mores & exempla quædam, quibus nos ad uirtutem accenderet. Depingit magnum quendam uirum Aeneam, & in eo magni animi uim, qui casus fortunæ, & res aduersas ratione regere norit, quiq; uirtute & consilio uincat fortunam. Quis igitur claros uiros carminibus celebraret, quis doctos extolleret laudibus, si Poeta ab isto scelerato interfectus fuisset. Perijssent quoq; illa carmina, quæ olim Poeta, cum iret Romam, in itinere lusit, in quibus imperabat suis, ut rem eo absente tuerentur, ac prouiderent, ne ulla in re Arrium possessorem suorum agrorum læderent.

MOE=

MOERIS. Imo hæc carmina cum Poeta intercidissent, in quibus aliquando promittebat Varo, se effecturum esse (si sibi agri restituerentur), ut Varus ab omnibus excellentibus Poetis posteritati commendaretur. LYCIDAS. Opto, ut tibi omnia prospere eueniant, ut cupio, ut siqua præterea habes Virgilij carmina, nobis recites. Ego ipse aliquid in medium proferrem, si non esset insignis impudentia agere in scena gestum spectante Roscio. Cuius enim uicia in commouendo ille non uidet? Quare cum ingenij mei imbecillitatem perpendam, auscultare tibi malo, quàm meas ineptias prodere. MOERIS. Ibi sum, & id sedulo ago, ut tibi recitem ea, quæ Poeta ex Theocrito de Galathea & Polyphemo dicit. Fingit enim, quomodo Polyphemus ab amœnitate loci & temporis Galatheam in sui amorem pertrahere conatur. LYCIDAS. Cur non cōmemoras potius illa, quæ nuper nocte quadam audiui. MOERIS. Hoc certe darem nostræ amicitiæ, ut plures uersus recitarem, si non memoriæ effluxissent. Non ignoras enim senum memoriam propter diuturnitatem temporis imminui, ac facile eorum, quæ rudibus annis percœperunt, obliuisci. Exemplum de me capio, puer olim tam fælicis memoriæ eram, ut integros dies recitando carmina consumerem, nec tamen uel ordine uel numero destituebar. Sis igitur his, quæ narraui, contentus. Reliqua ubi uenerit Virgilius, ipse commemorabit. LYCID. Miror, cur hunc laborem defugias, cū te ad canendum inuitet loci amœni=

amœnitas & tranquillitas cœli. Depone hædos, quos humeris gestas & canta. Aut si times futuram pluuiam, eamus, & inter eundem canamus, & ne tibi causam dem recusandi, onere, quod gestas, te leuabo. MOERIS. Noli mihi multum esse molestus. Pergamus potius Mantuam, ut Centurionem Arrium his hoedis, quos fero, placemus. Munera enim, crede mihi, placant hominesq; deosq;, placatur donis Iuppiter ipse datis.

ALIA PARAPHRASIS IN EANdem Eclogam.

LYCIDAS. Cum uideam te planè fracto & demisso animo incedere, uelim hoc des mutuæ amicitiæ, ut quæ sit uel causa tui istius doloris, uel quorsum ita properes, paucißimis expónas. MOERIS. Nonnè ò Lycida deplorandus est status rerum, cum nostris temporibus eò redierit res præter omnem nostram spem, & opinionem, ut Arrius Centurio tanquam aduena poßideat agros Virgilij, qui mandauit nobis, ut cum bello uicti simus (fortuna sic uolente) illi hos hoedos Mantuam loco muneris afferamus. LYCID. Quid? Audiui tamen Virgilium Poetam uestrum suis uersibus recuperasse agros, qui habeat inuictos colles, & porrigunt se usq; ad Mincium fluuium. MOERIS. Te hoc audiuisse non pernego. Verum literæ, disciplinæ, leges, & similes pacis artes tantum ualent in bellis ciuilibus, quantum columbæ imbecilles inter aquilas ualent. Et nisi auguria prohibuissent nouas concitare contro-

controuersias agrorum, uterq; nostrum perijsset. LYCIDAS. Heu cadit ne in quenquam tantum scelus, ut talem, tamq; diuinum Poetam occidere in animum inducat suum. Profecto ò Virgili maximus prouenisset moeror ex tua morte. Te enim interfecto, plurima carmina unà perijssent, nec ullus restaret, qui proueheret claros uiros & doctos extolleret, quiq; caneret Bucolica & alia. Praeterea nemo esset, qui caneret carmina, quae aliquando tibi eunti Romam licet inuito subduxi, in quibus mandabas tuis, ut te absente rem tueantur, nec tamen aduersus Arrium aliquid moliantur, ne sibi ipsis accersèrent malum. MOERIS. Imo & haec unà perijssent carmina, quibus Quintilio Varo Alphaeno Cremonensi promittebat, se daturum operam, ut ab omnibus Poetis celebraretur, modo salua sit sibi Mantua, quae propter uicinos Cremonenses magno periculo est obnoxia. LYCIDAS. Opto tibi quidem prosperum successum in mellatione & pastione, idq; facio, ut alia Virgilij, si quae habes, carmina pergas recitare. Etsi uero ego in me furorem Poeticum sentiam, non tam ex institutione, quàm diuino afflatu. Deinde carmina quoq; condiderim, & uulgus ea approbet, Tamen nondum iudico me Poetam, quoniam nondum uideor mihi canere, quae Varus & Cinna possint approbare. MOERIS. Id quidem ago, ut carmen recitem non indignum, quod noscatur, in quo Poeta rogauit Augustum, ut ex bello maritimo redeat in Italiam, ubi omnia sint amoena & pacata, & quietam

tam uitam ſtudiorum anteferat turbulentis negocijs publicis. LYCIDAS. Quid taces? cur non commemoras carmina, quæ in nocte ſerena toties audiui, ut numeros etiam edidicerim, ſi non uerba excidiſſent. MOERIS. Cum ita urgeas, alteram auſpicabor cantilenam de Iulio Cæſare. Nil profecto opus eſt ad arandum, ſerendum, metendum, obſeruare poſthac ueteres illos & conſuetos ortus atq; obitus ſyderum, ut arietis, Vergiliarum, Coronæ, Caniculæ, ſufficit pro illis omnibus una ſtella Iulij Cæſaris. Nec opus eſt, ut alia imploremus numina, præter numen fauſtum & propitium Auguſti, ſub quo procedent nobis omnia fæliciter. Eo enim uictore fruges fælicius prouenient, magna erit copia uini, artes pacis refloreſcent. At pergerem recitare reliquam partem iſtius carminis, ſi ſenectus non langueſeciſſet, uires meas, adeo ut planè iam memoria deſtituar. Puer olim tam tenaci eram memoria, ut æſtiuis diebus à matutino tempore uſq; ad occaſum Solis cantarem, nec tamen ordinis uel numerorum obliuiſcebar. Nunc igitur non ſolum memoria, ſed etiam uox mihi deficit, ita ut propter raucedinem credam, quod lupi uiderint me priores. Si quæ tamen carmina reliqua ſunt, Virgilius ipſe, ubi uenerit, recitabit tibi. LYCIDAS. Dum ita te excuſas, ut ſubterfugias hunc laborem recitandi, nihil aliud mihi facere uideris, quam amicum ſuæ petitionis non facere compotem, cum tamen in tanta pace Italiæ poßis optime uacare ſtudijs Muſarum. MOERIS. Vrgentibus

negotijs

negotijs familiaribus, omittamus cantilenas. Tum enim commodius canemus, cum Virgilius recuperatis agris domum redierit.

PARAPHRASIS DECIMAE ECLOGAE, QVAE INSCRIbitur GALLVS.

CVm descripturus sim, quomodo perierit amore Cornelius Gallus Poeta præstantißimus, nec non præfectus Aegyptiacus amicus summus tam Augusti, q̃ meus, idq; absq; auxilio diuino efficere nõ poßim, rogo & obsecro uos Musas, quarũ facilitatem & beneuolentiam hactenus prolixe sum expertus, ut & in hac postrema Ecloga mihi adsitis, neq; ea de causa tantum, ut amici calamitatem deplorem, sed ut etiam ostendam, nullum tantum robur, nullam tantam uim animi esse etiam in summis hominibus, quæ non poßit eneruari & dissolui amoris illecebris, nullum impetum tantum esse, qui non elanguescat, qui non domari & subigi poßit captus amoris dulcedine, quæ in speciem uidetur iucunda, delectabilis, & grata, cum tamen reipsa nihil nisi merum fel subsit. Quod si hoc dabitis neceßitudini, quæ mihi uobiscum studiorum gratia interceßit, efficiam profecto, ne pietas & gratitudo in me desiderari poßit. Priusquam autem incipiam commemorare, quomodo Gallus præ impacientia amoris extinctus sit, non possum mihi temperare, quin uobiscum expostulem. Nam cum Gallus Cytherim, à qua

a qua maxime se amari putabat, Antonium in Galliam cum exercitu proficiscentem sequi uideret, ipseq; eius absentiam ægreferret, præ nimio desiderio contabuit. Ante autem extremum spiritum omnes eius uicem doluerunt, arbores, arbusta, montes, pecudes, pastores, Dij syluestres, nec non illum consolati sunt. Vos uero præsertim nullis negocijs impeditas abfuisse miror. Nam non dubium est mihi, quin uos, si affuissetis, eius dolorem egregijs præceptis haustis ex reconditis & abditis philosophiæ fontibus, si non tollere, at certe mollire potuissetis. Ne putetis me declamatorio more apud uos ῥητορεύειν, sciatis ad Gallum uenisse opilionem & bubulcos, deinde Menalcam, omnesq; causam istius amoris rogasse. Tandem accessit & Apollo, ut qui uim aliquando amoris expertus erat, admonuit Gallum, ut furorem pro uirili ex animo eijceret suo. Frustra enim se excruciare propter Cytherim, quæ amantem non redamet, sed Antonium in Galliam cum exercitu proficiscentem secuta sit. Venerunt Syluanus & Pan deus pastorum, qui quoq; adhortabatur Gallum, ne se adeo excruciaret, imò sibi temperaret. Quia amorem solitudines & moerores nihili facere, & ut maxime lachrymatus fuerit, tamen illum non mitigari, non saturari. Nam ut gramina non saturantur deriuatione, ut neq; oues Cythiso, quo immodice se oblectant, ut neq; capellæ frondibus salicum, quibus ferè insultant, ita neq; lachrymis satiari amorem. Qua consolatione audita Gallus cum magnis

suspi-

suspirijs ex imo pectore ductis sic effatus est. Pro uestra erga me uoluntate, animiq; inductione pastores, gratias, quas possum, maximas ago, & si propter imminentem mortem promerendi non datur facultas, spero tamē Deos, quibus res humanæ curæ sunt, uobis pro tali officio pietatis paria relaturos esse. Etsi uero absentis meretriculæ amore contabescam, tamen rogo, ut hoc officij meæ postremæ uoluntati detis, ac aliquid de meo amore tibijs canatis, quo futurum est, ut tandem aliquando ab æstu amoris liberer et postea molliter conquiescam. Atq; utinam fuissem pastor, ac parem amassem, à qua non fuissem sic contemptus. Sed quæ est ista uesania mentis? quæ inconstantia? Antea à te spretus sum ò Cytheri, tamen non possum non te adhortari, ut me potius, quam Antonium sequi uelis. Ne quid enim aduersi tibi inter hostes, & in aspera regione Gallia accidat, non dici potest, quàm ego metuam. Verum enim uero experiar subinde alia atq; alia, ut amoris obliuiscar. Ibo, & carmina, quæ olim ex Euphorione Chalcidensi Poeta traduxi, Theocritico stylo canam, & me in Sylas abdam. Nam in lustris uitam degere malo, quàm in conspectu hominum uersari. Quod si hæc non animi mei furorem sedabunt, ad Venationem animum applicabo, ut quoquo modo uis amoris temperetur. Quasi uero amor sit talis affectus, qui facile ex animo eijci poßit. Quid multis opus est? Neq; Musæ, neq; Syluæ me delectant, adeo mihi omnia superiora consilia displicent, nihilq; meum

dolorem mitigare uidetur. Certum enim est amorem, quo captus sum, non mitescere posse, etiamsi in frigidißima regione ueluti in Thracia agerem, & econtra in maximo æstu uersarer, quantus est apud Aethiopas, apud quos etiam interior cortex ex nimio Solis ardore moritur. Tanta est amoris potentia, ut qui omnia uincit. Hæc habui de amore Galli summi mei amici, cui spero meum officium gratum futurum, licet hoc meum Bucolicum carmen tenui orationis genere sit conscriptum.

ECPHRASIS ALLEGORICA IN Decimam Eclogam. Interlocutores autem est solus Poeta Virgilius.

Cum sim descripturus, quomodo Cornelius Gallus Poeta clarißimus se ipsum interfecerit, sentiens Augustum animo á se esse alieno propter defectionis suspicationem, rogo uos Musas, ut in hac postrema Ecloga uestrum auxilium mihi præstetis, quo poßim paucis uerbis eius mortem deflere, ita tamen, ut et Augustus, qui Gallum tantopere complexus fuit, ista qualiacunq; sint, legere non dedignetur. Non enim licet hoc postremum officium humanitatis tali Poetæ propter commune uinculum studiorum denegare. Atq; si senseris in hac re uestram erga me beneuolentiam & facilitatem, in id profecto incumbam, ne istius uestri beneficij uos pœniteat. Priusquam autem aggrediar interitum Galli deplorare, non possum non uobiscum expo=

expostulare Musæ, quod non accurristis ad morientem Gallum opem laturæ. Mihi enim non est dubium, quod si in studio Poetices, peruenisset Gallus, non tantopere amicitias potentum affectasset, nec ea negotia succepisset, quæ illi necem attulerunt. Omnia enim Græca studia degustauerat Gallus. Non fuit igitur illi impedimento cognitio literarum & Poetarum Græciæ, quo minus in studijs tam feliciter cæptis perseueraret. Omnes autem non solum Poetæ ac studiosi, uerum etiam infimæ notæ homines, sanè pro eo ac debent, grauiter molesteq; tanti uiri mortem tulerunt. Præterea hoc meum Bucolicum carmen, quod lætißimo animo tractandum suscepi, testatur quoq;, quantum uulnus ex eius morte meo pectori fuerit inflixum, ac licet Gallus tantus in Poetica sit, & tam admirabilis, ut diuinus merito existimari poßit, tamen qui semper illius mentis candor fuit, spero hoc Bucolico carmine me magnam apud illum initurum gratiam. Incredibile autem uisum est omnibus proceribus & toti plebi, tantum uirum, tam prudentem & Augusto tam amicum, aliquid contra uoluntatem Augusti excogitare potuisse. Ac tandem Apollo, cuius erat arcanum detegere, præmonuit Gallum, ut ad omnes casus expectandos esset paratus, propterea quod inuidi ita planè exulcerassent animum Augusti, ut summa inuidia laboraret ipse. Acceßit alius quidam amicus, qui à Gallo, ut statueret mœroris modum, petijt, præsertim cum Augusti animus sit ita offensus, ut nulla re sedari queat.

Qua consolatione audita Gallus moestus de amissis, amico & uita & iam mori certus, commendauit studiosis memoriam sui, quando ea sola restat ex tanta fortuna & haec uerba iam iam moriturus subiecisse fertur. Vtinam mansissem in studijs literarum & uita priuata, fuissem uel eruditus, uel si hoc consequi non esset datum, studiosorum assecla. Certe non defuissent mihi in uita illa oblectamenta, si non tam speciosa, ut in hoc splendore dignitatis, at non minus suauia. Adesset honor ingenij & cantarem, ut Augustus ueniret ad delectamenta Italiae suae, ueniret ad triumphos & fructum suarum uictoriarum. Ita sanè ego in tanta pace & quiete uixissem. Nunc uero ex amicitia Augusti uiuo, inter hostes capitales, qui mihi conflarunt hanc calamitatem, & inter media arma, quae caput, & uitam meam impetunt. Iam quidem ò Auguste non sum de me sollicitus, sed de te, ne immutato ingenio isto tuo clementissimo & mansuetissimo, ex carissimo fias inuisus. Hoc autem persuasum habeas, me rediturum ad uitam priuatam, & acturum procul ab urbibus & congressu populorum, inter literas & Syluas. Et quocunq; me recepero, solabor desiderium, quod me semper de te sequetur, & Poematis mandabo, amores meos, qui crescent simul cum ipsis carminibus, nec meas delectationes impedient uenena detractionum & insimulationum. Quasi uero sic possem mederi huic meo casui. Nulla enim res hanc Augusti cupiditatem dominandi poterit mitigare. Haec satis erit ò Musae me

de Galli interitu scripsisse, dum ago in otio literarum, & pastoriciam materiam tracto. Sunt hæc quidem per se parua & exilia, sed si uos aspiratis operi, & additis genium, quem liber uicturus debet habere, fient maxima in laudem Galli.

FINIS PARAPHRASEOS IN *omnes* Eclog*as* V*irgilij*.



PROLEGOMENA IN BVCOLICA VIRGILII προλεγόμενα διδασκαλικά.

I.

VBI SVNT INVENTA BVCOLICA?

Consentaneum est in Sicilia primum scripta esse Bucolica, cum Thocritus Siculus Poeta praecipuus in hoc genere artifex habeatur.

II.

QVAE RES ERGO DEDIT OCCAsionem Virgilio scribendi carmen Bucolicum?

Cum in bello graui inter L. Antonium & Octauium Augustum exorto unà cum Cremonensibus non ob delictum, sed loci uicinitatem Virgilius etiam suis agris exutus & spoliatus esset, eosdemq; tandem recuperasset opera Asinij Pollionis, Vari, Mecaenatis & Cornelij Galli familiarium Caesaris. qui ingenium, eruditionem & mores eius praedicauerant, cum ipsi Caesari, tum eius amicis pro receptis agris agresti carminis genere, ut pares beneficio sint gratiae, pulcherrime seruato decore gratias agit.

III.

CVR POETA INSCRIPSIT BVCOLICA?

Triplices sunt pastores. Alij enim sunt αἰπόλοι hoc est, caprarij. Alij ποιμένες, hoc est, opiliones, ab ouibus, quos pascebant, qui caprarijs paulo putantur honestiores, & honestißimi omniū fuerunt βουκόλοι hoc est, bubulci, id quod apparet ex hoc Theocriti uersu Idyll. 4. βούτας μὲν ἐλέγευ. νῦν δ᾽ αἰπόλ*

ἀνδρὶ ἔοικας. hoc est, Bubulcus quidem dicebaris, nunc autem caprario uiro similis es. Hoc autem uniuersos Theocritus uno uersu complexus est, ἦνθον τοὶ βῶται, τοὶ ποιμένες, ὡ πόλοι ἦνθον Hoc est, pastores uenere boum per pascua cuncti, uenerunt teneras soliti pauisse capellas. Vsus est igitur honestiore appellatione Virgilius, dum Bucolicum hoc carmen inscripsit, seu simpliciter, quod hic res pastorales & rusticæ tractentur, seu quod non utitur splendidis figuris, longe petitis metaphoris, longis circumductionibus, aut ab optimo animali, quod inter quadrupedes pascitur.

IIII.

VNDE TRAHIT ORIGINEM?

Græcis βουκολέω significat pasco, aut curo boues. Inde fit βουκόλος, h. e. bubulcus, & βουκολικὸν hoc est, pastorale carmen, à materia dicitur, quod sermones, aut colloquia, pastorum contineat. Appellatur etiam ἐκλογὴ, quasi dicat, selectum carmen hoc est, ut germani dicunt, Ein guts bößlen. Appellatur item Idyllium à forma orationis singulari. Nam εἶδος formam significat.

V.

QVOT SVNT FORMAE BVCOlici Poematis?

Tres. Omne enim Bucolicum carmen uersatur in narratione, aut in actione, aut ex utroq; mixtum est. Primum genus uocatur διηγηματικὸν, alterum δραματικὸν, Tertium μικτὸν. Enarratiuum autem est, cum Poeta perpetuam narrationem instituit, ut fit in

quarta Ecloga. Actiuum est, in quo personæ loquentes inducuntur, ut fit in plerisq; Eclogis. Mixtum genus constat ex personis & Poetæ acclamatione.

VI.

QVAE SVNT VTILITATES Bucolici carminis?

Eclogarum & Idylliorum lectio conducit ad rerum & uerborum cognitionem comparandam. Nam in Eclogis sunt uenustissimæ allegoriæ, pingentes præsentem Reipub. statum, & ipsos gubernatores quibusdam uerborum inuolucris. Hæ allegoriæ potissimum quærendæ & considerandæ sunt in Bucolicis. Cum enim uel periculi declinandi uel assentationis uitandæ causa non audent Poetæ dicere aperte, quod sentiunt de repub. & gubernatoribus, utuntur tecta & latenti forma orationis, qualis est & hæc Bucolica. Deinde carmen Bucolicum suppeditat exemplum orationis propriæ, figuratæ, & uenustæ. Sunt autem tria summa decora orationis, proprietas, uarietas figurarum, & uenustas.

VII.

QVEM IMITATVS EST Poeta Virgilius.

In Bucolicis imitatus est Theocritum summum artificem, ut antea dixi, in hoc genere, sed non assecutus est mirabilem illam elegantiam, subtilitatem, & suauitatem, quæ est in græco carmine Theocriti. In Georgicis non solum imitatus est, sed etiam superauit

Hesiodum. Nam quod attinet ad ornatum, opus γεωργικῶν Virgilij grauius est, & magis elaboratum, quam Hesiodi opus, quod appellauit ἔργα καὶ ἡμέρας. Huius dißimilitudinis hæc ferè uidetur esse causa, quod Virgilius in suis Georgicis uoluit Physico modo res in natura admirabiles describere, unde magis est Physicus quam alter. Hesiodus uero magis est ἠθικὸς καὶ ἀστρολόγικος. In Aeneide proxime accesßit ad imitationem Homeri. Prodest igitur studiosis collatio Græcorum Poematum, de quibus dixi, cum lectione Virgiliana, ut appareat, quàm fæliciter Virgilius aliorum uestigia secutus sit.

VIII.

QVID EST ECLOGA?

ἐκλογὴ est paruum carmen, tanquam ab alijs selectum & excerptum. Deriuatur enim à Græco uerbo ἐκλέγεσθαι, quod significat eligere, seu colligere. Quare uehementer errant, qui Eclogas dictas putant ἀπὸ τοῦ αἴγος καὶ λόγον, quasi sit sermo de capris. Plinius Iunior lib. 4. Epist. idem dicit esse Epigramma, Idyllium, & Eclogam. Verba Plinij hæc sunt. Proinde siue Epigrammata, siue Idyllia, siue Eclogas, siue, ut multi, Poemata, seu quod aliud uocare malueris, licebit uoces. Et Virgilius in eodem argumento Theocritum imitatus, suum carmen Eclogas uocauit, quod ille Idyllia.

Bucolica Virgilij sunt parua Idyllia magnarum rerum.

IX.

CONSTANT NE ETIAM ECLOgæ uno, eodemq; argumento?

Non. Iam enim describuntur amores, iam factum laudatur, iam clari uiri laudantur, alibi continent insectationem æmulorum, alibi certamen, ut recte Eclogas uocauerint. Cum illis uarijs argumentis uoluerunt tanquam melioribus & grauioribus scriptis suis præludere, & ingenium ad multo grauiores res tractandas præparare & excitare.

X.

QVOD GENVS DICENDI IN Eclogis secutus est Poeta?

Mediocre & humile genus orationis, sicut Poeta ipse testatur, cum inquit, Syluestrem tenui Musam meditaris auena. Quia non utitur hîc metaphoris longe petitis, non atrocibus, sed blandis & rusticis uerbis, proprietatem cum quadam diligentia custodit, non habet crebras interrogationes, nullos habet omnino atroces motus.

XI.

VNDE PERSONAE HVIVS OPEris magna ex parte habent nomina?

Habent nomina maiori ex parte de rebus rusticis conficta, ut Melibœus dicitur, qui curiosus & sollicitus est de bobus, à μέλειν curare, & βόες boues, ut qui magno desiderio & cura tenetur, ut rursus suis bonis fruatur è quibus expulsus erat. Tityrus uero Laconum lingua proprie dicitur aries ille magnus gregem ducere solitus. Nostri uocant, den Leithamel. At allegorice sub Tityro Poeta Virgilius intelligitur.

EROTEMATA IN PRIMAM ECLOGAM.

AD QVOD GENVS CAVSARUM refertur Prima Ecloga?

Ad genus Demonstratiuū. Continet enim laudem facti.

QVIS EST PRINCIPALIS LOCVS in Prima Ecloga?

Locus de gratiarum actione, qui in hoc Enthimemate consistit, Ego à Cæsare multa beneficia accepi, Ergo mihi loco dei coletur. Integer syllogismus est, Qui benefaciunt nobis, illi colendi sunt, Cæsar benefecit mihi, Ergo Cæsar mihi colendus est. Sunt autem multa ornamenta aspersa orationis ornandæ & amplificandæ gratia, ut est Encomium urbis Romæ, ut est illa collatio cum alijs urbibus, expositio prioris uitæ, quæ omnia faciunt non tantum ad ornatum, uerum etiam ad perspicuitatem, ita ut plæraq; non potuerint quidem omitti. Præterea conclusio quater est repetita, Primū in ꝑpositione, Deinde cū dicit, Namq; erit ille mihi &c. Tertio, Bis senos &c. Vltimo, Ante leues ergo.

QVOT HABET PARTES HAEC ECLOGA?

Duas. In altera enim parte huius Eclogæ Tityrus Cæsarem & illius erga se beneficentiā & liberalitatem magnificat, agitq; gratias pro restitutione agrorū. In altera uero parte Meliboeus insectatur rabiem & furorem ciuilium bellorum, & deplorat calamitates, quæ bella sunt secutæ. Hunc locum communem assumit Ecloga, qui præcipue hic obseruandus est. Monet enim uitanda & deprecanda esse dißidia ciuilia.

Ita oratio Tityri est perpetua quædam narratio de beneuolentia Augusti, erga se. Meliboei uero oratio est querela, & ciuilium bellorum execratio.

QVI SVNT IN HAC ECLOGA
Loci communes digni obseruatinne?

PRIMVS *est de amore & dulcedine patriæ. Nam quod Meliboeus inquit, Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua, alludit ad locum communem, Nihil patria esse amabilius, adeo ut in patria malimus tenuiter uiuere, quam apud exteros omnibus facultatibus affluere. Hinc Homerus 9. Odiß. fingit Vlissem potius teneri amore patriæ, quam Calypsus, cum ait,*

ὡς οὐδὲν γλύκιος ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων γίνεται. εἴπερ καὶ τῆς ἀπόπροθι πίονα οἶκον γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοκήων.

Hoc est.

Quàm nihil est patria, charisq; parentibus usquam
Dulcius, atq; magis gratum, licet omnia plena
Sint tibi diuitijs, patriaq; sit usq; carendum,
Nonnè domi malis pauper, tenuisq; uideri.

Item in primo Odyß. dicit de Vlysse,

αὐτὰρ ὀδυσσεὺς
ἱέμενος, καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι
ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται.

Quod Ouidius sic reddidit, lib. 1. de Ponto Eleg. 4.
Non dubia est Ithaci sapientia, sed tamen optat,
Fumum de patrijs posse uidere focis.

Idem

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Euripides.

ἡ πατρὶς ὡς ἔοικε φίλτατον βροτοῖς
οὐδ' ὀνομάσαι δύναμ' ἂν ὡς ἐστὶ φίλον.

Ad hunc locum commode referri potest tota oratio Lycurgi contra Leocratem desertorem patriæ, in qua disserit orator suauißime de pietate, quam suæ quisq; patriæ benemoratæ debet. His & similibus sententijs admoniti merito ingemiscere debemus nostro periculosißimo tempore, cum uidemus patriam, quæ á quibusdam & propugnari & omnibus officijs tanquam mater foueri debebat, misere afflictam & uastatam. Vt interim nihil dicam, quantum periculum impendeat Ecclesiæ, quæ potius est cuiq; patria, quám hoc solum, quod nascentes excepit. Melibœus igitur merito afficitur dolore, cum illi suauißima patria sit carendum. Atq; utinam nos Germani, qui hactenus titulo libertatis non parum superbiuimus, salutem patriæ nostræ, hoc est, totius Germaniæ, imò uerius Ecclesiæ, priuatis commodis, honoribus, & uitæ nostræ prætulissemus, in tuto res omnes essent sitæ, nec tantis malis fuisset patria obnoxia. Hæc extorsit mihi communis luctus, in quo omnes sumus causa patriæ & eorum, qui uere de se prædicare possunt hos ipsos Euripidis uersus,

ὦ πατρὶς, εἴθε πάντες, οἳ ναίουσι σε
οὕτω φιλοῖεν, ὡς ἐγὼ, καί γε ῥαδίως
οἰκοῖμεν ἂν σὲ, κοὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

SECVNDVS locus eſt de præſtanda gratitudine ijs, qui bene de nobis ſunt meriti. Nam quod ait, Deus nobis hæc otia fecit, primũ teſtatur æquum eſſe, ut Auguſto, à quo agros ſuos receperat, & tranquillitatem ſtudiorum erat conſecutus, memoriam ſuorum meritorum erga ſe ſumma cum beneuolentia perpetuo præſtet. Atq; alludit ad uetuſtiſsimum morem referendi bene merentibus gratiam. Antiquitas enim, ut eſt apud Plinium lib. 2. cap. 7. Deum, inquiebat, nihil aliud eſſe, quàm mortalibus prodeſſe, hoc eſt, iudicabat illũ eſſe Deum, qui tametſi ſit mortalis, tamen maximis beneficijs afficit homines, quemadmodũ Veſpaſianus, qui afflicto & laboranti Imperio opem tulit, & ſua uirtute collapſam rempub. reſtituit. Cicero lib. 1. de natura Deorum ſic definit Deum, Quoniam plurima homini ab homine uel commoda uel incommoda ſolent oriri, & Dei proprium eſt uel ſeruare uel benefacere, Idcirco, qui in graui periculo ſuccurrit, quiue ingenti quopiam afficit beneficio, quoniam Dei quaſi uice fungitur, ei, cui prodeſt Deus dicitur extitiſſe. Huc alluſit Ouidius lib. 2. de Ponto, Conueniens hominum eſt hominem ſeruare uoluptas, Et melius nulla quæritur arte fauor. Deinde quod addit, Erit ille mihi ſemper deus, alludit ad locum communem de gratia referenda. Hinc Heſiodus maiore menſura, quæ acceperis, utenda,

ſi

si modo poßis, reddere iubet, εὖ μὲν μετρεῖσθαι, παρὰ γείτονος εὖ δ' ἀποδοῦναι αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, ἄκε δύνηαι.

Ita Græci pinxerunt tres χάριτης, ut una auersa, reliquæ duæ aduersæ starent, quod scilicet officium in nos collatum officio duplici compensandum sit. Inprimis enim decet hominem gratitudo, societas, & mutuum studium erga quosuis, erga illos maxime, qui profuerunt, alioqui non esset suaue uiuere renumeratione beneuolentiæ, uicißitudine studioru͂, officioru͂q; sublata, quibus nihil est iucundius, ad quæ uel sola natura nos cõdidit, q̃bus solis à feris & reliquis bestijs differimus.

TERTIVS locus est de defensione literarum. Nam quod ait ludere, quæ uellem, calamo permisit agresti, potest commode detorqueri ad locum communem, studiosos literarum non posse florere absq; fauore, & defensione magnorum principum, & doctos uiros indigere præsidio summorum ordinum.

QVARTVS locus est, quod Melibœus dicit, se non Tityro inuidere tantam fælicitatem recuperati agri, & ocij scribendi. Vult enim ostendere candidi hominis esse, alterius felicitati non inuidere. Sacræ literæ testantur ad tale officium præstandum in amici fortuna uel prospera uel aduersa nos obligari ex lege naturæ seu charitatis, quã Christus Math. 7. refert, Quicquid uolueritis, et uobis homines faciãt, hoc idem facite uos eis, In hoc pendent lex & Prophetæ. Nullus autem

nostrum

nostrum est, qui non cupiat ut alij nobiscum gaudeant, cum res nostræ sint in prospero statu sitæ. Non inuideamus igitur & nos alterius felicitati. Huius regulæ exemplum habemus illustre in Christo, qui in nuptijs & conuiuijs gauisus est cum gaudentibus. Tempore luctus, ut cum Lazarus mortuus est. Ioan. 11. Fleuit cum flentibus. Ergo laudandus est quoq; in Melibœo pastore hic affectus bonus, cum diuinitus illi sit insitus, quod, ut est tempus, ita se erga Tityrum gesserit.

QVINTVS locus est de perniciosa hominum negligentia, qui sæpius imminenti malo præsens remedium inuenire possent, si aut amicorum fidelibus consilijs, aut Dei omnipotentis crebris præsagijs obsecundarent. Hinc ait hoc loco Poeta, sæpe malum hoc nobis, si mens non læua fuisset, De cœlo tactas memini prædicere quercus. Quot autem & quanta paucis abhinc annis ostenta uidimus, quæ nos ad ueram pænitentiam merito debuissent uocare, qua acta imminentia Germaniæ pericula euitare potuissemus. Quid dicam de Sole, qui Dominica Misericordia M. D. XLVII. circa matutinum tempus totus sanguineus apparuit, procul dubio præsagiens cladem horribilem, quæ secuta est à meridie è regione Mulburgij oppidi inter Cæsareanum militem, & pijßimum Principem D. Ioannem Fridericum primum Electorem Saxoniæ. Verum quia quadam securitate animi fascinati contemnimus talia signa cœlestia, fit sæpe, ut nostræ securiatis & negligentiæ postea pœnas luamus. Deus

faxit,

faxit, ut deinceps ei, qui tam per uerbum suum in prophetis & Apostolis traditũ, quàm per signa nos ad meliorem rationem uitæ uocat, obtemperemus. Hanc securitatem deplorat etiam elegantißimo carmine Clarißimus Poëta, IOHANNES STIGELIVS, piæ memoriæ, cum ait,

Conscia mundanæ rerum natura ruinæ,
Ostenso toties mœsta dolore gemit.
Ipsa etiam offensi declarant numinis iram.
Mensa suas dubijs uiribus astra uias.
Et tamen admissæ cumulat sibi pondera culpæ
Dirus homo, & præceps in sua fata ruit.
Crebra notabilibus præbet spectacula signis
Et cœlum, & cœlo terra ciente dolens.
Exequias ducto monstrarunt funere nubes,
Clanguit à cœli claßicus orbe sonus.
Est, ubi puniceo sudauit sanguine tellus,
Et maduit pigro tacta cruore seges.
Ipse tegi uidi nigro uelamine Solem,
Vt tegit absconsam parua tabella facem.
Tempore, quo pictæ facies metuenda Chimeræ,
Ausa est in Christi sede tenere locum.
Vidimus & plures, uelut uni illudere Soles,
Bellaq; signorum per simulachra geri.
Tempora nonnè etiam præsentis nouimus anni,
Noxia per terras mille fuisse locis?
Fulmine pugnantes & tempestatibus atris,
Irati pluuiæ signa dedere dei.

Cum ſtabulis pecudes, cum tecto & prole parentes
Miſſa repentinis ſorbuit unda uadis.
De cœlo tactæ perierunt fulmine uillæ,
Irritaq; agricolæ ſpesq; laborq; fuit.
Et quotus emendat uitioſo in pectore ſordes?
Et ueniam culpæ corde dolente petit?
Vndiq; dum largo petulantia gramine florens,
Luctifico ſpicas gignit odore graues,
Vnde ſeges miſeris mortalibus ampla malorum,
Meßis & aßiduo plena dolore uenit &c.

SEXTVS locus eſt, quod Tityrus ait, poſtquam nos Amaryllis habet, Galathea reliquit. Vult enim primum quaſi ob oculos ponere uerum uſum peregrinationis, quæ reddat uitam prudentiorem, unde Vlyſſes apud Homerum celebratur, quod in ipſo ſcientia rei militaris coniuncta fuerit cum prudentia & bonis conſilijs. Ideo non Aiacem, non Achillem Poeta Homerus, ſed Vlyſſem πολίπορθον, hoc eſt, euerſorem urbium uocauit, uolens indicare plus illum conſilio, quàm ui in euertendis urbibus, in gerendis bellis ualuiſſe, ita etiam plurima effeciſſe. Ita rectißime Germani dicunt, Ein heimgezogen kind, iſt bey andern leuten wie ein rind. Admonetur igitur hoc loco iuuentus, ut peregrinationes honeſtas ſuſcipiat, in quibus perluſtret celebres urbes, aliorum hominum mores cognoſcat, indeq; uitam ſuam prudentius inſtituere diſcat. Deinde teſtatur Tityrus hoc loco ſe Romæ plus ingenio aſſecutum eſſe, quam bello amiſerit in patria,

unde

unde rectißime dixit Lucianus, principium grauioris mali plærunq; esse gradum melioris fortunæ. Exempla habemus in Ioseph, Daniele, Dauide & alijs sanctis, qui quamuis peßima quæq; fuerunt primum perpeßi, tandem tamen ad summos honores sunt euecti. Inde Germani habent sua prouerbia, Nach einem trüben Wetter kompt gemeiniglich ein schöne Sonne. Ea enim est uicißitudo omnium rerum.

SEPTIMVS locus est de contemptu literarum perniciosißimo. Nam quod Tityrus dicit, Quamuis nulla meis exiret uictima septis, uidetur attingere locum communem, studiosorum ingenia tum primum excitari, cum honos artibus habeatur. Iuxta illud Poetæ, Honos alit artes. Item sint Mecænates, nõ deerunt flacce Marones, Virgiliumq; tibi, uel tua rura dabunt.

OCTAVVS est de præcipuo ornamento ciuitatum. Quod enim Melibœus dicit Poetam à tota Roma expetitũ, & ab omnibus tribus ordinibus, in quos populus Romanus diuisus erat, uocatũ, refertq;, quod poma, hoc est, ingentia præmia, quæ uirtuti Virgilij debebantur ab Amaryllide, Romano nempe populo, ad ornandum Virgilium conseruata sint, procul dubio significare uoluit, quod homines cognitione literarum exculti sint uera ornamenta ciuitatum. Nec tam opes, nec fundi, neç arces ornant ciuitates, q̃ fama doctorum.

NONVS est de studio cuiuslibet hominis. Quod enim ait, Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras, alludit ad locũ communem, suum cuiq; dulce esse. Iuxta illud Ouidij. 1. Trist. Eleg. 6.

Scilicet est cupidus studiorum quisq; suorum,
Tempus & assueta ponere in arte iuuat.

DECIMVS est de reuerentia fluminibus & fontibus exhibenda. Cum enim fontes uocat sacros, sentit uim quandam numinis esse infusam in omnes res. Hinc est pulcherrimum præceptum apud Hesiodum,

μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίρροον ὕδωρ
ποσσὶ περᾶν, πρίν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα.

Quod scilicet nunquam debeamus transire flumina, quin cogitemus Deum esse causam efficientem, et mandasse, ut hoc flumen perpetuo fluat. Nulla enim Physica racio sufficiens potest reddi, cur fontes perpetuo scaturiant, aut flumina perpetuo fluant, nisi quod est diuina ordinatio.

VNDECIMVS est de calamitatibus ciuilium bellorum. Inquiens enim, En quo discordia ciues perduxit miseros, alludit ad incommoda bellorum ciuilium, in quibus milites infantes sæpe à complexu matrum abstractos mactare solent, nulla ætatis, aut sexus discrimina obseruant, miseras puellas, pueros, mulieres abstrahunt ad fœdissimas libidines, omnia æquant humo. Hinc Cicero recte dixit, se malle iniquissimam pacem, quám iustissimum bellum. Delectantur quidam bello, sed facto periculo postea timent, Iuxta illud Pindari, γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισιν, ἐμπείρων δὲ τὶς ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδία περισσῶς.

DVODECIMVS est de tranquillitate studiorum.

orum. Conquerens enim Meliboeus se in tanta rerum confusione nulla amplius scripturum esse carmina, indicat studia literarum requirere inprimis ocium & tranquillitatem, Iuxta illud Ouidij, Carmina proueniunt animo deducto sereno. Item, Carmina secessum scribentis & ocium quaerunt.

FINIS PRIMAE ECLOGAE.

EROTEMATA IN SECVNDAM ECLOGAM.

QVARE POETA HVIC ECLOgae Alexin nomen fecit?

Sunt, qui nomen sortitam esse putant ab Alexandro puero, quem Poeta ab Asinio Pollione dono accepit. Verum alij propterea Alexin inscriptam esse arbitrantur, cui sententiae & ego suffragor, quod cum Corydon ad ise redamandum inuitat Alexin, ille ardenter amanti nihil respondeat.

VNDE DERIVATVR ALEXIS?

Deducunt Grammatici à priuatiua particula, α, sine & λέξις dictio. Inde ἄλεξις. e. d. mutus, & qui non dignatur respondere. Conqueritur enim rusticus Corydon se non respici, sed negligi & contemni ab Alexide.

QVO CONSILIO CONSCRIpta est haec Ecloga?

Quia Virgilius parum adhuc erat notus & familiaris Augusto Cæsari, conatur hic eum in sui amorem pellicere. Neq; enim incommoda erit allegoria, si sub Corydonis persona Virgilium, per Alexin uero Augustum Cæsarem intelligas.

RESPEXIT NE ETIAM POETA ad græcam imitationem in hac Ecloga?

Maxime. Sumpsit enim locos ex Theocriti Cycople, & tertio, & postremo Idyllio.

AD QVOD GENVS CAVSARVM refertur Secunda Ecloga?

Ad genus deliberatiuum. Vtitur enim hic locis suasorijs, dum ad amorem Alexin inuitare conatur, hoc est, in gratiam Augusti se insinuat. Etsi uero argumenta sunt etiam sumpta ex genere demonstratiuo, ubi seipsum laudat, suamq; artem deprædicat.

QVAE EST PROPOSITIO CARMIMIS?

Propositio Eclogæ est, Ego uehementer te amo, sed me á te contemni uideo. Quare rogo, ut amantem redames. Hanc autem orditur ab exclamatione propter amoris impacientiam.

QVOMODO AMPLIFICAtur Propositio?

Primo collatione ex Minori, Omnes pecudes, imò & lacerti uenenata animalia, & ipsi messores nunc propter meridianum istum æstum, quo Sol flagrantißimus est, quiescunt. Quanto autem magis me tui amantem quiescere oportebat, qui propter meum

con-

contemptum nunc curis maceror et conficior. Secundo amplificatur propositio alia comparatione, Melius erat in ueteri amore perseuerare, quam nouum suscipere, ubi non redameris.

QVOMODO CONCLVDIT Propositionem?

Eleganti epiphonemate, quo extenuat precium formæ, Etsi excellis forma, tamen possum alia plura bona opponere.

QVIBVS ARGVMENTIS VTITVR in persuadendo Alexide?

PRIMVM argumentum ductum est ab opibus, Magna est mihi copia pecorum, Ergo dignus sum, quem plurimum ames. SECVNDVM tractum est ab arte, sum egregius Musicus, Ergo æquū est, ut me mutuo amore complectaris. Integer Syllogismus est, Qui arte aliqua præditi sunt, digni sunt, ut amentur, Ergo magnam periciam canendi habeo, Ergo dignus sum, qui à te redamer. Hoc argumentum amplificatur ab exemplo & authoritate Panos, si Pan artem Musicam coluit, Ergo neq; te eius pudere debet, TERTIVM à forma, sum excellenti forma præditus, Ergo merito sum amandus. QVARTVM à donis, Auferes et præmia nostri amoris fistulā, qua me unum dignū putauit Damætas. Addā capreolas, lilia, narcissū, uiolas, castaneas, et pruna. Ergo inique facies, si me nō redamaueris

QVI SVNT LOCI Communes in Secunda Ecloga?

PRIMVS est, quod non nisi inter pares firma coire & coalescere posit amicitia. Pares enim facillime cum

paribus congregantur. Hominis autem dißimilitudo, animorum dissensionem facit. Alexis enim adolescens est, Corydon natu grandior: Hic deformis, ille formosus: Alexis eloquens, Corydon inconditus: ille urbanus, hic rusticus: Alter rerum ciuilium, alter agriculturæ studiosus.

SECVNDVS est de natura amantium. Nam quod ait, Nonnè fuit satius tristes Amaryllidis iras &c. depingit Poeta naturam amantium, quomodo præsentibus non possunt esse contenti, sed semper denegata expetunt. Vnde Horatius recte dicit, Dum uitant stulti uicia, in contraria currunt, wen einer meinet, er wölle es gut machen, so vorderbt ers am ersten. Proinde recte Cyclops Theocriti admonet, τὴν παρέουσαν ἄμελγε, τί τὸν φεύγοντα διώκεις?

TERTIVS est de fragilitate formæ, qua plurimi insolescunt. Nam quod ait, ò formose puer, nimium ne crede colori, alludit ad locum communem, formam esse bonum fragile & statim deformari accessu temporis & morborum. Iuxta illud Ouidij. 2. Amorum,

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spacio carpitur illa suo.
Nec semper uiolæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi iam uenient cani formose capilli,
Iam uenient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Deinde

Deinde admonet etiam Poeta per hæc uerba, nimium ne crede dolori, omnes reipub. gubernatores, ne nimium insolescant propter honores, ad quos euecti sunt. Fieri enim statim potest, ut sit Irus, qui modo Cræsus erat. Propterea Lucianus splendorem aulicum comparauit sepulchris, quæ foris deaurata sunt, intus autem propter cadauera fœtent. Et uulgare alioqui dictum est, uitam priuatorum optimam esse.

QVARTVS est de commendatione nobilissimæ artis Musices. Nam quod ait Amphionem Saxa & pecudes suis cantilenis & arte Musica ad se pertraxisse, alludit ad Musicam, prudentiam, & eloquentiam, qua homines feri & agrestes ad humaniorem uiuendi rationem reuocantur. De eo sic scribit Horatius in arte Poetica,

Syluestres homines sacer, interpresq; deorum,
Cædibus, & uictu fædo deterruit Orpheus.
Dictus ab hoc lenire Tigres, rapidosq; leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo uellet &c.

QVINTVS est de amœnitate ruris & uoluptatibus uenationis. Cum enim dicit, ò tantum libeat mecum tibi figere ceruos, significat Venationem non tantum afferre uoluptates, sed etiam infinitas utilitates, quas recenset Xenophon in libello suo de Venatione conscripto.

SEXTVS est, quod Musica sit ars digna,

quæ discatur à principe. Quia enim ait, Nec te pœniteat calamo triuisse labellum, significat principi discendam esse Musicam, non tantum, ut inter infinitas Reipub. & Ecclesiæ curas, afferat illi aliquam uoluptatem, sed etiam illius animum à ferocitate & seueritate ad quandam humanitatem, morumq; suauitatem traducat, siquidem Musica prosit, teste Aristotele, ἢ πρὸς ἡδονὴν, ἢ πρὸς παιδαγωγίαν, ἢ πρὸς κάθαρσιν. Primum enim Musica conducit ad liberalem uoluptatem, qua nos recreemus & refocillemus. Deinde conducit ad Pædagogiam, hoc est, ad mansuefacienda ingenia. Quia expolit feras naturas, & efficit homines commodiores. Prodest deniq; πρὸς τὴν κάθαρσιν. h. e. ad leuandum animum in præsentibus affectibus. Scribunt enim Alexandrum tibijs à Timotheo ad diuersum habitū traductum esse, ita ut modo incitatus cantu occœperit ardere cupiditate pugnæ, modo desistere etc.

SEPTIMVS est, quod stultum sit principem uelle flectere muneribus, quibus abundat, aut principi offerre carmina legenda, quibus non afficitur. Nam quod dicit, Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis, Primum ostendit absurdißimum esse principibus aut Regibus offerre munera, quibus nos indigemus, & ipsi abundant, Iuxta illud Isocratis ad Nicoclem, Ιο μὲν εἰωθότες ὦ Νικόκλεις, ὑμῖν τοῖς βασιλεῦσιν ἐσθῆτας ἄγειν, ἢ χαλκὸν, ἢ χρυσὸν εἰργασμένον, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων χρημάτων, ὧν αὐτοὶ μὲν ἐν-

δεεῖς

δενεῖς εἰσιν, ὑμεῖς δὲ πλουτεῖτε, λίαν ἔδοξαν δέ μοι καταφανεῖς, οὐ δόσιν, ἀλλ᾽ ἐμπορίαν ποιούμενοι, καὶ πολὺ τεχνικώτερον αὐτὰ πωλοῦντες τῶν ὁμολογούντων καπηλεύειν, Hoc est, Qui uobis regibus ó Nicocles soliti sunt offerre uestimenta, siue æs, siue aurum elaboratum, aliudue rerum earum quippiam, quibus ipsi sanè indigent, uos abundatis, apprime mihi uisi sunt esse conspicui non munus, sed mercatum facere, ac longe artificiosius uendere, quàm illi solent, qui Caupones se confitentur. Deinde quod dicit, Alexin non curare munera Corydonis uilissimæ personæ, Procul dubio alludere uult ad contemptum non tantum literarum, sed & Poëseos, quæ in tanto contemptu sunt apud plærosq; principes, ut non tantum non respiciant literatos, sed & fame eos ferè perire patiantur.

OCTAVVS est de stulticia amatorum, qui cum uideant uoluptatẽ escam esse malorum, Tamen indulgent affectibus, nec sequuntur id, quod ratio rectum pronunciat. Hinc recte Medea inquit, uideo meliora proboq;, Deteriora sequor. Elegans locus de uoluptate est apud Ciceronem in senectute, Quocirca nihil esse tam detestabile tamq; pestiferum, quam uoluptatem. Siquidem ea cum maior esset, atq; longinquior, omne animi lumen extingueret.

NONVS est de natura hominũ, qui sine amicitia et cõsuetudine mutua amicorũ uitam planè acerbã putant.

tant. Alij enim alijs rebus capiuntur, Iuxta illud, Quot homines, tot sensus. Plinius ait, uaria sunt hominum iuditia, uariæ uoluntates.

DECIMVS est, quod nullus sit modus amoris. Cum enim ait, Quis enim modus adsit amori, indicat facile esse præscribere amanti præcepta, sed sibi ipsi temperare difficilimum esse. Hinc est, quod Tibullus ait, Verus amor nullum nouit habere modum.

VNDECIMVS est, quod ait, Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus, & subindicans nullo modo uacandum esse amori turpi, cum propter illum assequendum & damna & dedecora plurima eueniant. Poetæ idem uolentes docere, confinxerunt Cupidinem puerum clãculum ex alueolo suffurari mella, atq; interim dum se oblectat puer, dum uoluptatem suam edendo melle egregie explet, tandem pungi ab apibus, atq; ita afflictum statim dolentem discedere. Quid aptius, melius, & elegantius ab optimis hominibus pingi potuisset de Amoris uoluptate, ut is suis illecebris nos sollicitet ac inescet, utq; nos uarijs modis titillet, ut nil nisi mel in ea appareat, sed sub hoc melle Venenum, & dolores non paucos nec modicos tandem subesse, nihilq; in eo constans & perpetuum, Tum nos fallera maxime, cum minime omnium falsurum esse confidebamus. Quia autem Theocriti uersus sunt suauißimi, haud grauatus sum eos adscribere.,

τὸν κλέπταν ποτ᾽ ἔρωτα κακὰ κέντασε μέλισσα,
κηρίον ἐκ σίμβλων συλεύμενον, ἄκρα δὲ χειρῶν
δάκτυλα πάνθ᾽ ὑπένυξεν. ὁ δ᾽ ἄλγεε καὶ χέρ᾽ ἐφύσῃ
καὶ τὰν γᾶν ἐπάταξε, καὶ ἅλατο. τᾷ δ᾽ ἀφροδίτα
Δεῖξεν τὰν ὀδύναν· καὶ μέμφετο ὅττι γε τυτθὸν
θηρίον ἐντὶ μέλισσα, καὶ ἁλίκα τραύματα ποιεῖ,
χ᾽ ἁ μάτηρ γελάσασα, τί δ᾽ οὐκ ἴσον ἐσσὶ μελίσσαις
χ᾽ ὡ τυτθὸς μὲν ἔῃς, τὰ δὲ τραύματα ἁλίκα ποιεῖς.

Hunc locum ita uerterunt doctißimi quiq; nostro tempore.

PHILIPPVS MELANTHON.

E paruo alueolo furantem mella procacem
Fixit apis puerum Veneris, digitosq; tenellos
Vulnere non uno lacerauit, saucia læso
Intumuitq; manus. Verum puer ipse doloris
Impatiens, plodensq; solum pernicibus alis,
Subuolat ad matrem, digitos monstratq; cruentos,
Quantula ait uolucris mortalia uulnera fecit?
Mater ait ridens, Tantillus qualia sæpe
Vulnera das puer, ac apibus non corpore præstas.

IDEM.

Fixit apis puerum Veneris dum roscida mella
Furatur. Sic sunt dulcia mixta malis.

EOBANVS HESSVS.

Melle Pharetratum furantem nuper Amorem,
In digitis manuum parua momordit apis.

Ille dolet, terramq; ferit pede, dumq; dolorem
Conqueritur matri quem pateretur, ait.
Cũ sit apis tam paruum animal, quibus artibus utens,
Viribus exiguis uulnera tanta facit.
Cui Venus, haud quanquam mirabere, si tua spectes,
Quæ puer exiguus uulnera tanta facis.

GEORGIVS SABINVS.

Dum puer alucolo furatur mella cupido,
Furanti digitum cuspide fixit apis.
Sic etiam nobis breuis & peritura uoluptas
Quam petimus, tristi mixta dolore nocet.

Huc referre licet totam illam quoq; fabulam, quæ est apud Hesiodum de Pandora, quæ in speciem bellißima apparet, utpote ita compta, ita exquisitißime exornata, ut ad consummatißimam formam nihil prorsus deesse uideretur. Nam quod quisq; Deorum habuit & pulcherrimum & optimum, id fingitur in eam contulisse. Sed ea simul atq; excipitur ab imprudente & cupido Epimetheo, aperta pixide, quam in manu gestabat, omnia omnium morborum genera euolarunt. Hic scilicet finis est, hic exitus uoluptatis, aut amoris, cui (ut Plautus inquit) mœror comes nonnunquam esse sollet. Theocritus autem in Cyclope dicit amoris nullũ esse remedium præsentius, atq; studia bonarum artium. [illegible] quia sunt elegantißimi, subijciam.

ὀυδὲν ποτ τὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο
Νικία, ὄυτ' ἔγχριστον (ἐμοὶ δοκεῖ) ὀυδ' ἐπίπαστον.
ἢ ταὶ πιερίδες, κοῦφον δέ τι τοῦτο καὶ ἁδὺ
γίνετ' ἐπ' ἀνθρώποις εὑρεῖν δ' ὀυ ῥάδιον ἐστι. EO=

EOBANVS HESSVS GRAECA carmina sic reddidit.

Arte Pharetrato factum graue uulnus amori
Si medica curare uoles, seu puluere sicco
Nicia conspergis, seu puluere collinis udo,
Haud quaquam prodesse queas, nisi Pharmaca Musæ.
Quæ læsis adhibere solent apponere cures,
Iucunda illa quidem mortalibus esse uidentur.
Vulnereq; affectis attactu lenia molli,
Qua tamen inueniant multi ratione laborant &c.

DVODECIMVS est de uaria conditione doctorum hominum. Cum enim ait, Inuenies alium, si te hic fastidit Alexis, consolatur se ipsum, quasi sibi sit facile conciliare alicuius principis fauorem, etiamsi contemnatur ab augusto, sicut solet Germanice dici, Wil der nicht, so wil ihener.

EROTEMATA IN TERTIAM ECLOGAM.

QVARE POETA INSCRIPSIT hanc Eclogam Palæmonem?

Hæc Ecloga ob eam causam uocatur Palæmon, quia primas tenet partes, & inter hos duos pastores huius certaminis iudex est.

SIMILIS NE EST HAEC ECLOga superioribus duabus?

Non. Superiores enim sunt magis oratoriæ, & cōstant perpetua quadā unius ꝓpositionis expolitione, ut fit in

integris oratorum causis. Hæc autem tertia Ecloga non constat uno perpetuo argumento.

QVID FVIT POETAE IN CONsilio, dum hanc scriberet?

Videtur hoc consilio scripta hæc Ecloga, tum ut uertendo Græco carmine per ludum copiam exerceret, tum ut Pollionis, cuius laudes hîc quoq; leuiter attingit, gratiam captaret. Nam & illius opera in captandis agris usus erat Virgilius.

IMITATVS NE EST POETA Theocritum in hac Ecloga?

Maxime. Est enim imitatus quartum, quintum, & septimum, pleraq; etiam alia Theocriti Idyllia.

CVIVS NAM GENERIS EST Tertia Ecloga?

Tertia Ecloga non unius tantum generis est, sicut nec uno perpetuo argumento constat. Prima fuit generis Demonstratiui. Secunda uero generis Deliberatiui. In hac, quia non unum tantum argumentum est, ideo non potest apte uni tantum generi causarum subijci. Neq; enim tota est generis Iudicialis, quanq̃ lites habeat, sed partim generis est Iudicialis, nempe, a principio, ubi contendunt inter se pastores. Huic loco subijcitur prouocatio ad certamen, quæ ferè cadit in genus deliberatiuum. Proinde mixta est Ecloga, sicut & multæ Epistolæ Ciceronianæ Mixtæ appellari possunt, quæ non totæ suasoriæ, non totæ expostulatoriæ,

toriæ, non totæ gratulatoriæ sunt, sed partim constant adhortationibus, partim narrationibus, partim gratulationibus, partim expostulationibus, id quod est cernere in Cicerone.

QVOT HABET PARTES haec Ecloga?

Tres. PRIMA pars est exordium, quod satis longum est, nec habet beneuolentiæ captationem, sed iurgia, rixas, & crimina pastorum, quæ alter in alterum ingerit, complectitur. SECVNDA est prouocatio ad certamen canendi. TERTIA pars est ipsum certamen pastorum, in quo Deorum laudes, amores, encomia clarorum uirorum, insectatio æmulorum, & indoctorum texitur.

QVI SVNT LOCI COMMVNES in hac Ecloga obseruandi?

PRIMVS est, Quod ait, seruum suffurari lac, dum herus indulget amoribus. Significat enim Poeta nihil temere committendum esse alijs, quod curare ipsi poßimus. Nam Aeschylus in Tragædia Pensa uocat domini præsentiam, oculum domus, cum ait, ὄμμα γὰρ δόμων, νομίζω δεσπότου παρουσίαν. Idem dicit Aristoteles, 1. libro οἰκονομικῶν, ὡς οὐδὲν οὕτω πιαίνει τὸν ἵππον, ὡς τοῦ δεσπότου ὀφθαλμός. Quare Plato in 6. de legibus prudentißime inquit, οὐκ ὑγιὲς οὐδὲν ψυχῆς δούλης· οὐ δεῖ γὰρ οὐδὲ πιστεύειν αὐτοῖς τὸν νοῦν κεκτημένον. Hic locus commode

O

modo detorqueri potest in reges, principes, & omnes rerumpub. gubernatores, qui ab Homero ob eam causam optimo titulo notantur ποιμένες λαῶν, quod omnia sua studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in eo figere & locare debeant, ut populus, quem gubernandum susceperunt, non tantum salutaribus legibus instituatur, sed etiam contra iniustam uim defendatur. Id autem fieri potest, si gubernatores ipsi omnium negociorum, quae se offerunt, sint inspectores, nec ea efficienda consiliarijs suis tantum relinquant. Fit enim saepe, si principes aut alij gubernatores rerumpub. indulgeant nimium uenationibus, aut nocturnis commessationibus, posthabitis negocijs aulae, consiliarij multa praepostere agant, unde subditos magnum detrimentum sentire necesse est.

SECVNDVS est, quod ait, Parcius ista uiris, tamen obijcienda memento. Indicat enim illius temeritatem merito reprehendendam esse, qui cum ipse uicio non caret, paratus est tamen alijs sua uicia obijcere. Qui enim pergit, quae uult, dicere, ea, quae non uult, audit. Germani dicunt, Ein guter gruß findet eine gute antwort. Huc alludit Sophocles,

Φιλεῖ γὰρ γλῶσσαν ἐκχέας μάτην
Ἄκων ἀκούειν οὓς ἑκὼν εἴπῃ λόγους.

TERTIVS est, quod ait, Etsi non aliqua nocuisses, mortuus esses. Primum enim indicat, quomodo gliscente ira rixae augeantur, & in acerbitate animi

non

Non tam sui defensionem quærant commoti, quam infamationem alterius, Deinde perstringit inuidos & uirulentos homines, qui planè contabescunt, cum uident alijs omnes res fæliciter succedere, Iuxta illud Ouidij in 2. Meta.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle uirent, lingua est suffusa ueneno,
Risus abest, nisi quem uisi mouere dolores,
Nec fruitur somno uigilantibus excita curis,
Sed uidet ingratos, intabescitq; uidendo
Successus hominum, carpitq; & carpitur unà,
Suppliciumq; suum est.

QVARTVS est, cum ait, Non ego te uidi Damonis pessime caprum. Vult enim, ut is careat uicijs, qui in alienis uicijs notandis ualde est oculatus, Iuxta illud Ciceronis in Salustium, Carere debet omni uicio, qui in alterum dicere paratus est. Is demum maledicit, qui non potest uerum ab altero audire. Item Horatius lib. 1. sermo: Satyr. 3. Deniq; teipsum.

Concute, num qua tibi uiciorum inseuerit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala. nanq;
Neglectis urenda filix innascitur agris.

Deinde indicat hic uersus Virgilij, quomodo non solum bellorum certamina de paruis inicijs sæpe fiant ingentia, sed uerborum etiam rixæ, nisi statim reprimantur, progreßione fiant acriores & sæuiores. Itaq; Menalcas erumpens præ iracundia aperte Damætam accusat furti.

QVINTVS est, cum ait, Tityre coge pecus. Vult enim perstringere eos, qui sæpius aberrant á scopo, nec dicunt aliquid, quod ad rem facit.

SEXTVS est, quod ait, Non tu in triuijs indocte solebas &c. Loquitur enim de insulsis scriptoribus, & significat deficiente causa non sequi effectum. Impoßibile enim est, ut is bonum carmen canat, qui non habeat fistulam satis aptam ad hanc rem, nec unquam ab artifice aliquo artem canendi didicerit. Conuenire igitur potest hic uersiculus in barbaros & indoctos, qui omnia intempestiue faciunt. Ludere, qui nescit campestribus abstinet armis, inquit Horat.

SEPTIMVS est, quod ait, Est mihi nanq; domi pater, est iniusta nouerca. Ostendit autem duo obseruanda esse præcipue. Primum, ut liberi nihil suscipiant agendum, quod non natura præclarum & pulchrum est, contra uoluntatem parentum, ut hac in re obedientiam debitam, & á Deo mandatam, summa cum obseruantia præstent. SECVNDO, quod omnibus nouercis sit natura innatum fatale & irreconciliabile odium in priuignos, iuxta illud Euripidis in Alcestide,

ἐχθρὰ γὰρ ἡ πιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις
τοῖς πρός θ' ἐχίδνοις οὐδὲν ἠπιωτέρα. Hoc est,
Hostis nouerca est ante natis liberis,
Nihiloq; mitior nocente Vipera.

OCTAVVS est, quod Menalcas dicit, De grege non ausim quicquam deponere tecum. Subindicat

enim

enim Poeta, mentiri & furari adeo inter se esse cognata, ut rarissime á se diuellantur. Nam supra dixit, gregem esse Aegonis. Hinc recte Fabius lib. 5. Inst. orato. monet, Mendacem memorem esse oportere. Et Germani dicunt, Wer do gerne leuget, der stilt auch gemeiniglich gerne.

NONVS est, quod ait, Audiat hæc tantum uel qui uenit, ecce Palæmon. Prouerbialis autem est figura, quoties scilicet nobis altercantibus interuenerit iudex minime accersitus, ne cui suspicionem moueat.

DECIMVS est locus communis de uicissitudine omnium rerum. Quod enim inquit, Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ, subindicat eam esse rerum naturam, eiusmodi sensus humani fastidium, ut nihil esse possit tam suaue, quod non abeat in nauseam, si paulo diutius utare, Nihil tam egregium, quod idem diu placere possit. Iuxta illud Euripidis in Oreste, μεταβολὴ πάντων γλυκύ.

VNDECIMVS est, quod ait, Res est non parua. Indicat enim, quæ cuiq; cordi sunt, ea maxime curari, unde ille ait apud Euripidem, Quod quisq; uehementer expetat, id esse pluris illi quàm expugnauisse Ilium.

DVODECIMVS loquitur de prouidentia deorum, cum dicit, Ab Ioue principium, Iouis omnia plena. Alludit autem ad locum communem, omnia nostra negocia & consilia auspicanda esse á Dijs. Nisi enim ipsi aspirent, & faueant studijs, infæliciter omnia

susceperimus. Deinde significat dotes omnes ingenij Iouis consilio nobis contingere, Iuxta illud,

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Hinc Lucianus rectißime scribit Pallada nasci ex cerebro Iouis. Quia potestas politica non tantum est ordinatio Dei, sed etiam sine Deo nec fælix, nec salutaris est, iuxta illud Salomonis pro. 8. per me reges regnant & principes constituunt iusta, per me domini dominantur, & regnant omnes iudices terræ. Pallas autem haud dubie significat Politicam sapientiam rectricem Politiarum, in cuius clypeo est Gorgon seu caput Medusæ repræsentans authoritatem, qua Deus armauit gubernatores rerumpub. in ferendis legibus, earumq; executione.

Pallas cur nata ex cerebro Iouis fingatur

Pallas politicam sapientiam sign.

DECIMVS TERTIVS est, cum ait, Parta meæ Veneri sunt munera. Testatur autem Poeta, amorem non esse stabilem & firmum, nisi semper muneribus confirmetur. Iuxta illud Ouidij, Plurimus auro uenit honos, auro conciliatur amor. Et Hesiodus uocat ἀφροδίτην χρυσῆν, de quo eleganti carmine quidã lusit.

Hesiodus pulchre, quod sit Venus aurea, lusit
Et peream si quid rectius esse potest.
Nunc auro solo quia conciliantur amores,
Vtq; puto á turpi est fœnore dicta Venus.
Senserat hic magnus siquidem Saturnius olim,
Cum Deus humano captus amore fuit.

Atq;

Atq; per impluuium tecti delapsus, auaros
    Impleuit Danaei uirginis hymbre sinus.
Huius ad exemplum quoq; nunc dum munera mittet,
    Tantisper dominæ gratus amator erit.
At nihil attulerit cum pauper, sæpe reclusas,
    Est opus infælix excubet ante fores.

DECIMVS QVARTVS est, quod ait, Partem aliquam uenti diuum referatis ad aures. Indicat enim tam suaue colloquium se habuisse cum amica, ut dignũ sit diuorum auribus, & possumus illo uersu prouerbialiter uti, ubi loquimur de rebus egregijs, quas etiam Deorum auribus dignas iudicemus.

DECIMVS QVINTVS est, cum ait, Dum tu sectaris apros, ego retia seruo. Admonet autem nos uersus, quod amici procul seiuncti non sunt amici. Quia mutuæ consuetudinis fructu carent.

DECIMVS SEXTVS est, quod precatur Dametas, ut mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum, qui faueat eloquentiæ Pollionis. Innuit enim illum non solum esse dignum immortalitate, sed & omnium rerum copia, qui literas complectitur, earumq; studiosos summo prosequitur amore.

DECIMVS SEPTIMVS est, quod irridet indoctos & ineptos Poetas, cum ait, Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui, qui ut sibi aliquam existimationem pararent, carpserunt Virgilij &

Horatij optimorum Poetarum famam et eruditionem, ad quam ipsi aspirare nequiuerunt. Est autem aptissima comparatio, quod Poeta suos aduersarios Vulpibus, deinde hircis comparat. Significat enim eos Vulpium naturam habere, nempe, fraudulentes, mendaces, furaces, & calumniatores esse. Hircis autem ideo confert, quod quemadmodum id animal prorsus nullum lac præbet, Ita quoq; nullum bonum carmen sui aduersarij poßint conscribere.

DECIMVS OCTAVVS est prouerbialis uersus de fucatis amicis, cũ dicit, frigidus ó pueri fugite hinc, latet anguis in herba, & significaturi alicui rei multum subesse periculi, aptißime eo utimur.

DECIMVS NONVS est, cum ait, A flumine reijce capellas. Est enim admonitio seu præceptum, ne quid contra alicuius uoluntatem ministerio importuno fiat.

VIGESIMVS est, cum ait, Cogite oues pueri. Est enim monitio, ut malo edocti detrimentum uitemus cauendo.

VIGESIMVS PRIMVS est, cum ait, Idem amor exitium est pecori, pecorisq; magistro. Indicat enim multum incommodi afferre amorem non solum hominibus, sed & brutis animantibus. Homines enim cum indulgent amori, nulla cura pecoris tanguntur, & ita, quæ ad rem domesticam pertinent, negligunt, dum alienis rebus occupati sunt.

VIGESIMVS SECVNDVS est, cum ait, Claudite

dite iam riuos pueri ſat prata biberunt. Vult enim Prouerbiali figura monere, deſiſtendum eſſe ab opere, cui ſatis magna nauata eſt opera. Sumpta eſt autem metaphora ab illis, qui ſolent irrigare prata, & claudere riuulos, per quos deducitur aqua.

EROTEMATA IN QVARTAM ECLOGAM.

QVARE HAEC ECLOGA Pollio inſcribitur?

Quia Aſinio Pollioni Oratori ualde Eloquenti natus erat filius, cui decantatur hic Genethliacum, hoc eſt natalicium carmen, quo bene ei precetur.

CVIVS NAM GENERIS EST quarta Ecloga?

Generis Demonſtratiui eſt hæc Ecloga. Continet enim Pollionis & eius filij laudes, qui eſt Eclogæ ſtatus. Videntur autem hæc non tam ob Aſinij Pollionis & eius filij laudes, quàm in gratiam Auguſti Cæſaris ſcripta, per quem publica pace parta & profligatis diuturnis bellis ciuilibus, aureum ſeculum quaſi reſtitutum putabatur. Sunt itaq; multi in hac Ecloga loci, quibus per allegoriam Auguſtum commendat.

QVOT HABET PRINCIPALES partes hæc Ecloga?

Tres. PRIMA pars eſt exordium, in quo rogat Muſas Sicilienſes, ut ueniam ſibi dent, quod le-

ges Bucolici carminis hic transgrediatur, neq; intra eius limites sese continent. Huic exordio subijcitur ratio, Quia uaria sunt hominum ingenia, nec omnes pariter tenui orationis genere delectentur. SECVNDA pars est narratio, quæ continet expositionem & amplificationem fœlicitatis aurei seculi, quod iterum futurum Poeta uaticinatur ætate filij Pollionis. TERTIA pars est peroratio uel epilogus, in quo dicit Poeta fataliter ordinatum esse, ut redeant aurea secula regnante Pollione, seu, ut alij malunt figurate, Augusto.

QVARE IN HAC ECLOGA REPEtit quædam uaticinia Sibyllæ.

Ideo repetit Poeta uaticinia de pulcherrimo statu Romanæ Monarchiæ prodita, ut significet omnia Imperia habere quædam uaticinia, quomodo crescere, florere, & iterum debilitari debeant. Stant autem aliquantisper imperia, donec Dei beneficio dantur gubernatores uirtute præstantes. Deinde sequitur interitus, Quia posteri seu natura, seu disciplinæ neglectione sunt deteriores. PLATO in 8. lib. de Repub. inquit causam esse, cur mutentur imperia. Quia sesquitertia radix iuncta quinario, duas efficiat harmonias, Vltra quas cum natura postea deteriores gignat circumactam periodum finire imperia. Quod dictum etsi est obscurius Sibyllæ folijs, Tamẽ hanc simplicißimam interpretationem esse iudico, ut consonantiarum finis natura ordinatus est, cum ad διὰ πασῶν

uentum

nentum est, Ita legibus fatalibus ait subinde noua imperia exoriri ruentibus prioribus, propterea quod præstantiora deficiant, donec rursus fatali aliqua lege fiat instauratio. Quæ ipsa sententia tamen adfirmat, diuina prouidentia sic ordinatam esse & rerum & hominum naturã, ut ruentibus imperijs alia constituantur. Sed causam ruinæ monstrat doctrina Ecclesiæ, quæ adfirmat mutationes imperiorũ pœnas esse scelerum, quæ populi & reges perpetrarunt. Sæpe hoc uerum est, Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui. Sed illud etiam sæpe accidit, ut principes propter populi delicta puniantur, ut ait Salomon, propter peccata Populi crebræ sunt mutationes principum. Hanc moralem causam præcipuam esse sciamus. Hactenus P. M. in disputatione de loco Platonis, quæ habetur in Tertio tomo Declamationum.

QVOS HABET HAEC ECLOGA locos communes dignos memoria?

PRIMVS, non omnes arbusta iuuant, humilesq; myricæ. Indicat enim Poeta diuerso modo tractandos esse homines, & alio orationis genere. Quia non omnes humili genere capimur. Alia igitur oratione compellandus est princeps, quàm subditus, aut ciuis.

Decorum in oratione seruandum

SECVNDVS, Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna. Nam quod fingit Poeta Astræã, h. e. Iusticiam,

ciam, quæ genus humanum omni uiciorum, & scelerum genere in postrema ferrea ætate corruptum reliquerit, & ad superos in cœlum migrarit, sub optimo & iustißimo Augusti imperio, é cœlis in terram redituram, nihil aliud uult, nisi bono principe, qui uere heroicis uirtutibus est præditus, reipub. gubernacula tenente, omnia bella extingui, optimas artes florere, ingenijs dignum honorem haberi, plurimum posse in Repub. qui optimi sunt, uirtutes coli, uiciaq; profligari.

TERTIVS, Toto surget gens aurea mundo. Descriptione enim quatuor ætatum Poetæ significant, mores olim synceriores et incorruptiores fuisse, quàm nunc sunt. Subinde augescunt, & intenduntur uicia.

Descriptione ætatum quid significent poetæ.

QVARTVS, Te duce, si qua manent sceleris uestigia nostri &c. Hæc sententia monet, proprium hoc esse officium boni principis, ut publicis malis medeatur, bonos defendat, malos puniat. Alioqui non uenit appellatione patris, sed potius serui ac ministri sedicionum.

QVINTVS, Ille Deûm uitam accipiet, diuosq; uidebit &c. Testatur autem Poeta Heroas, qui bene meriti sunt de genere humano, ab hominibus in numerum Deorum relatos esse, ut significet magistratum esse ordinationem diuinam. Deinde ingentibus etiam præmijs & honoribus cumulari, si fideliter fungantur suo officio, qui præesse debent.

SEXTVS, Pauca tamen suberunt priscæ uestigia

gia fraudis. Hic uersus pulchre indicat, quod etiamsi bonus princeps aut magistratus conetur pro uirili tollere omnia mala, quæ ab hominibus malis Reipub. impendent, Tamen non poßit in tanta sæuicia Diaboli, tantaq; hominum malicia.

SEPTIMVS, Concordes stabili fatorum numine parcæ Dixerunt &c. Nam Poetæ figmento de tribus Parcis nihil aliud uolunt, quám quod ineuitabilis sors & euentus sit eorum, quæ fatis destinantur, & distribuuntur cuilibet.

OCTAVVS, Incipe parue puer, risu cognoscere matrem. Indicat autem Poeta firmæ ualetudinis indicium esse risum. Deinde nulla alia ratione matribus adimi molestias, quas cum grauidæ essent, habuerunt, quám si infantes illis arrideant, & ita spem longioris uitæ ridendo de se præbeant. Non iniuria autem hoc loco perstringit Seruium Politianus ausum contra omnem ueterum authoritatem fabulam de Vulcano confingere, & quanquam in locis obscurioribus non est temere iudicandum, Tamen laudem ingenij habet ea scrutatio atq; indagatio, quæ ad ueritatis cognicionem pro uirili conatur accedere. Itaq; pluris hic faciamus iudicium Politiani, qui etsi obiter hunc locũ interpretatur, authoritate tamen, quantum fieri potest, nititur. Negat autem legendum esse, Cui, sed, Qui, in nominatiuo plurali, idq; authoritate Quintiliani, quod is in 9. libro dicat esse hoc loco figuram in numero, sic ut plurali singularis subiungatur, quam E-

nallagen

nallagen numeri potes appellare. Sic enim construit, ò parentes, scilicet, Asinij pueri, in Vocatiuo casu, Hunc, scilicet, ex illis, qui non risere, hoc est, qui non arriserunt parentibus, uel, Hunc, hoc est, hos, per enallagen numeri, qui non risere, Nec Deus, hoc est, Genius, subaudi, dignatus est mensa, hoc est, communi Victu, Nec Dea, hoc est, Iuno, scilicet, dignata est cubili, hoc est, alijs rebus, quæ ad uitam sustentandam pertinent. Genium & Iunonem peculiares Deos ac præsides uitæ singulis hominibus attributos fuisse idem eodem loco authoritate Plinij & Senecæ affirmat cap. 49. Miscell. Etsi autem bona est hæc expositio, tamen facilior esset constructio, si legeretur, ut Vsus obtinuit, Cui non risere parentes, hoc est, quem puerum statim natum non exceperunt parentes applausu & gaudio, hunc nec Genius, nec Iuno uitæ præsides dignati sunt diu superstitem conseruare. Dicuntur enim puerperæ quodam naturæ mysterio statim, simul ac natum infantem, eumq; incolumen aspexerint, melius habere, ac rectius ualere. Infantes autem, qui monstrosi nascuntur, parentes non læticia, sed mœrore afficiunt, nec diu sunt superstites. Precatur igitur Virgilius, ut Asinius fæliciter natus parentes læticia ac gaudio afficiat, quasi hinc omen concipiatur fore, ut diu sit uicturus. Nec uideo, an ulla commodior clausula addi huic carmini potuerit.

ERO-

EROTEMATA IN QVINTAM ECLOGAM.

QVARE HAEC ECLOGA inſcribitur, Daphnis?

Ad imitationem Græcam. Sicut enim Theocritus in primo Idyllio fingit Daphnidem formoſißimum paſtorem amore miſere cruciatum tandem periÿſſe, ob idq; ſecutum eſſe ſummum mœrorem, Ita Virgilius in hac Ecloga deplorat Daphnidem miſere confoſſum.

QVEM NAM POETA VVLT intelligi ſub perſona Daphnidis?

Aliÿ quidem ſub Daphnide accipiendum putant Quintilianum Varum Cremonenſem Virgiliÿ & Horatiÿ familiarißimum, ut oſtendere uidetur Horatius primo libro Odarum, cuius mortem immoderatius iuſto ferebat Poeta. Aliÿ uero fratrem Flaccum intelligunt, cuius immaturam mortem deploret. Sunt deniq;, qui C. Iulium Cæſarem à Bruto & Caßio cæſum potius intelligunt, quàm quemuis alium.

AD QVOD GENVS IGITVR Cauſarum hæc Ecloga commode refertur?

Pertinet partim ad genus Demonſtratiuum, partim Deliberatiuum. Quatenus enim laudat Cæſarem miſerabiliter à coniuratis interfectum, eſt generis

Demonstratiui. Cum uero precatur C. Iulium Cæsarem á populo Romano in numerum Deorum relatum, ut sit suis ciuibus propitius, est generis Deliberatiui.

QVOT SVNT PARTES HVIVS Eclogæ præcipuæ?

Tres. PRIMA pars est exordium Eclogæ planè Dialogicum propter colloquium pastorum, qui amanter & familiariter se complectuntur. SECVNDA pars est Mopsi Epicedium siue Epitaphium in Cæsaris mortem. TERTIA est ἀποθέωσις, qua gratulatur Poeta Daphnidi diuinitatem.

QVIBVS ARGVMENTIS tractatur exordium?

Quia alter alterum ad canendum inuitat, alter uero se modeste excusat, ne offendat Menalcam, egregijs Enthymematis utitur.

PRIMVM A Personarum facultate.

Ambo sumus periti Musici, Ergo canamus aliquid, unde iudicium fieri potest, uter præstet arte canendi.

SECVNDVM ab opportunitate temporis.

Conuenimus in tempore, Ergo proferendum est aliquid nostris studijs dignum, ut temporis rationem habuisse uideamur.

TERTIVM ab amœnitate loci.

Nunc est amœnissimum tempus, cum arbores proferant fructus, erumpant semina, & aues in aëre concinant, Ergo fruamur ista amœnitate loci.

Quartum

QVARTVM *ab ætate.*

Tu es prouectior ætate, Ergo æquum est, ut tibi potius honorem incipiendi Epicedion tribuam.

QVO ORDINE CONSTAT *Epicedion?*

PRIOR *periodus Epicedij continet propositionem, fuisse publicum luctum, & mœrorem extincto Daphnide. Amplificata autem est distributione, Nymphæ, pecudes, feræ, & agri suo luctu significauerunt mortem Cæsaris sibi peracerbam esse.* SECVNDA *Periodus habet laudem personæ Cæsaris, quæ sumitur à rebus gestis. Multa ingentia beneficia extant in uniuersam Rempub. Ergo summa ingratitudo, & impietas esset, memoriam uirtutum & meritorum eius non conseruare.* TERTIA *Complectitur argumentum à consequentibus, seu utili, Quæ tempestates, quæue commutationes rerum secutæ fuerint amisso tali principe, tot prædito uirtutibus, tanto pacis studio, tanta bonitate erga suos, ut non minus uere pater, quàm princeps dici poßit.*

QVIBVS ARGVMENTIS CONA*tur Mopsus persuadere Menalcæ, ut canat Apotheosin?*

PRIMVM *est ab honesto, Honestum est diuinis laudibus efferre principem optime de Repub. meritum.* SECVNDVM *est à facili, Quia habes φυσικὰς ἀρετὰς, facile erit tibi componere carmen,*

in quo prædices Cæsarem. TERTIVM est, á iudicio doctorum, á quibus eius carmina iamdudum sunt collaudata.

QVAE EST DISPOSITIO ALterius cantilenæ, quæ uocatur ἀποθέωσις?

PRIMVM ueluti per distributionem indicat totum mundum exultare gaudio, quod Daphnis sit in cœlum sublatus. SECVNDO. Precatur, ut sit suis ciuibus propitius, quoniam commertio Deorum iam fruatur. TERTIO. Propter beneficia in se collata pollicetur non modo eas res, quæ ad diuinum cultum pertinent, uerum etiam perpetuam gratitudinem.

QVI SVNT LOCI COMMVnes notandi in hac Ecloga?

PRIMO, quod ait, Tu calamos inflare leues, ego dicere uersus, admonet Poeta, ut hanc quisq; artem exerceat, quã didicit. Præterquam enim, quod stultissimum est profiteri artem, cuius planè nullam habeas cognitionem, absurdissimum est sibi id tribuere, quod non est, & in alienam conditionem irrumpere.

SECVNDO, In uersu, Boni quoniam conuenimus ambo alludit non tantum ad commune prouerbium, ὧς ἀεὶ ὅμοιοι ἄγει θεὸς, ὧς τὸν ὅμοιον, sed etiam docet amicitiam, studiorumq; coniunctionem interdum plurimum habere ponderis ad præstandum id, quod amici pro suo iure á nobis postulant.

TERTIO, Versus, Tu maior, tibi me est æquum

æquum parere Menalca, proponit elegans præceptum iuuentuti, quæ ultro uiris ætate prouectiore summa cum reuerentia debeat procedere, Iuxta illud Iuuenal. Saty. 13. Credebant hoc grande nefas & morte piandum, si iuuenis uetulo non assurrexerat. Ita potest hic uersus ἠθικὸς prouerbij loco usurpari.

QVARTO, inquiens, Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas, ironice quidem perstringit æmulum Virgilij. Attamen indicat nos plurimum accendi, si habeamus studiorum socium. Sicut enim in alijs rebus prodest habere aliquem interdum, cum quo de arte certes, Ita in præcipuas habet partes συζήτησις, Iuxta illud Homeri, σύν τε δύ' ἐρχομένω. Item Hesiodi, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει &c.

QVINTO, Per uersum, Quid si idem certet Phœbum superare canendo, procul dubio indicat superbos & iactatores sibi plus iusto semper tribuere. Exemplo sint his nostris temporibus. Eccius, Cocleus, Vuicelius, & alij eiusdem farinæ, qui tantam doctrinam religionis sibi arrogant, ut ausint etiam cum Deo ipso conferre de dignitate operum, posthabita Iusticia, qua nos Deus reputat iustos, nedum cum præceptoribus nostris uiris memoria posteritatis dignißimis, quibus nunquam pares erunt.

SEXTO, Diligenter notandum est Epicedion

Iulij Cæsaris, qui Romæ in senatu tribus & viginti uulneribus confossus est á coniuratis C. Caßio, Marco & Decio Bruto & alijs omnibus á Cæsare rebus (ut Cicero inquit) ornatis, qui omnes, quod legitimum magistratum occidissent, crudeliter extincti poenas parricidij persoluerunt. Suetonius in uita Cæsaris Iulij. Plutarch. Florus lib. 4. de rebus gestis Romanorum. Valerius Max. lib. 1. Ouidius 3. Fasto. Deplorat igitur Poeta mortem Iulij Cæsaris, uideturq; id facere in gratiam Augusti, qui á Iulio adoptatus fuerat, & ad quem summa Imperij & omnium rerum post mortem Iulij redijt.

SEPTIMO, Cum Poeta significare uelit grauißimum luctum incidisse in rempub. extincto Iulio Cæsare, dicit eum deploratum á Nymphis, hoc est, á numinibus & Dijs, quibus fletus non attribuatur, nisi in rebus deploratißimis ac calamitosißimis. Deinde obiter monet, ut subditi suorum principum interitum lugeant propter gratam memoriā uirtutis et bonitatis eius, & propter Reipub. pericula, quæ bono aliquo principe extincto plurima impendere solent, Iuxta illud, Nouus rex, Noua lex.

OCTAVO, Etsi in hoc uersu, Nulla neq; amnem libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam, significare uult Poeta, quod etiam Suetonius scribit, proximis diebus, qui præcesserunt interitum Cæsaris equorum greges á Cæsare ad Rubiconem fluuium custodiæ traditos pertinacißime pabulo abstinuisse,

isse, ubertimq; fleuisse, Tamen allegorice significat nullam rationem neq; legum, neq; iudiciorum haberi, sed omnia confundi, & turbari in Imperio, ubi extinctus est princeps optimus, & succedit Tyrannus.

NONO, Cum inquit, Daphnis & Armenias curru subiungere Tigres Instituit, alludit primum ad pulchrum figmentum Poeticum. Fingunt enim Lynces & Tigres Bacchi currum trahere, uel quod hominum mentes, quæ tam uariæ sunt, quàm horum animalium pelles uarijs coloribus sunt sparsæ, per uinum patefiant, uel quod ebrij homines parum distent ab illarum bestiarum feritate. Deinde etsi hic uersus, si simpliciter eum intelligas, ad Orgya Bacchi referri potest, quæ à Iulio Romæ instituta dicuntur. Tamen suauior erit sententia allegorica, ut Poeta ostendat per exclamationem fatendum esse Cæsarem Armenias Tigres, hoc est, tam barbaros, quam Romanos principes & potentes in ordinem redegisse, & Thyasos induxisse, hoc est, domitis potentiorum animis Monarchiam, in qua pacis ac uoluptatum studia maxime florent, inchoasse, idq; exemplo Bacchi, quem triennio totam Indiam subiugasse scribit Theodorus Siculus.

DECIMO, Similitudo, ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus aruis, Tu decus omne tuis, eleganter subindicat, qua gloria bonus princeps suam ditionem ornet. Et èccontra, quam notam ignominiæ malus & impius princeps suo populo inurat. Huc alludit Virg. 1. Aene. Lætos oculis afflarat honores.

Item Demosth. in 2. Olynth. ubi describit corruptissimam uitam Philippi Macedonis.

VNDECIMO, Pro molli uiola, pro purpureo Narcisso Carduus & spinis surgit paliurus acutis. Hic per allegoriam ostendit tempore bellorum ciuilium pro optimo principe saepe succedere malos & sediciosos, agros nec coli, nec iuuentutem, quae opus habet institutione, informari posse. Quia ut testatur Hesiodus, pax est κουροτρόφος, non bellum.

DVODECIMO, Spargite humum folijs, Poeta ex decoro Bucolico adhortatur populum, plebemq; Romanam, quae indignissime ferebat caedem Iulij. Alludit autem ad ueterum sepeliendi morem, qui in lucis, hoc est, nemoribus inceduis & opacis, Dijsq; consecratis loca sepulturis constituebant. Tumulatus autem est Iulius Caesar in Campo Martio, qui ad Tyberim fuerit, praeter naturam loci, pratorumq; ac nemorum amoenitatem, insignibus ac statuis illustrium uirorum ornatus.

XIII. Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen. Hic uersus admonet omnium gentium iudicio religionem sepulchrorum sacrosanctam fuisse, uel quia admoneat nos communis conditionis ac mortalitatis, cuius recordatione afficimur, cum honorem mortuis tribuimus, uel publice testamur restare sensum aliquem in his, qui decesserunt, & nos bene sentire de resurrectione mortuorum. Sic laudatur Ioseph, quod

Iacob

Iacob patrem suum sepelijt. Sic laudantur illi, qui sepelierunt Stephanum. Praeterea sciendum est, sepulturam Christianorum non esse locum, ubi sepeliantur canes, aut feles. Nam Hebraei uocant Bethaim, hoc est, domum uiuorum, quod ibi sepulti iaceant, non qui mortui sunt, sed qui uiuunt. Graeci uero κοιμητήριον, hoc est, dormitorium, ein schlaffhaus uocant, quod ibi dormiunt pij, & quiescunt ab illis calamitatibus terrenis, ut postea ad uitam aeternam sint aptiores. Germani deniq; uocant agrum Domini, ein Gottes acker. Quia ibi iaceat sparsum Dei semen. Sicut autem semen non in terra manet, sed erumpit, efflorescit, & fert fructum, Ita statuendum etiam est, quod Christiani, etiamsi sepulti sint, tamen in terra non relinquentur, sed resurgent clarificati.

XIIII. Versus, formosi pecoris custos, formosior ipsis, significat allegorice, principes debere officio pastorum in administratione Reipub. fungi, hoc est, ciuium potius, quam suam utilitatem spectare.

XV. Daphnin ad astra feremus, amauit nos quoq; Daphnis, Docet, ut memoriam uirtutis ac beneficiorum optimi principis conseruemus, & in ea re pietatē et gratitudinem, quā Deus imprimis praecipit reddere principibus bene de nobis meritis, praestemus.

XVI. Candidus insuetū miratur limen Olympi. Apotheosis Iulij Caesaris est, quā canit Menalcas sub Theocriti persona figurate significans tēpore Iulij Caesaris in Deorū numerū ascripti futurū sub Augusto imperi-

um quietius & tranquillius. Ratione autem decori ea plerunq; usurpat, quæ apud Græcos in usu fuisse animaduerto, ut in parentatione uinum Aruisium, Cantores Damœtam & Aegonem Græcos, saltaciunculas deniq; & sacrificia Græcis usitata. Porró Cæsarem in numerum Deorum fuisse ascriptum, Suetonius annotat his uerbis cap. 84. Fuit ei pro rostris aurata ædes ad simulachrum templi Veneris genitricis collata, intraq; lectus eburneus, auro ac purpura stratus, & ad caput trophœum cum ueste, in qua fuerat occisus. Scribit & Appianus Cæsari non secus ac Deo templa decreto publico statuta esse. Hinc inquit Ouidius in 3. lib. Fastorum, Ille quidem cœlo positus Iouis atria cernit, Et tenet in magno templa dicata foro. Idem meminit in lib. 15. Metamorph.

XVII. Amat bonus ocia Daphnis. Ostendit bono principi in nulla re perinde elaborandum esse, quám ut ciues in summa tranquillitate uiuant, Qua desperata, nihil tam fugiat, quam arma ciuilia. Malus autem princeps propter leuißimas res sæpe mouet bella, partim ut expleat animi sui libidinem, partim etiam, ut suos ciues infinitis malis accumulet.

XVIII. Sis bonus, ó fœlixq; tuis &c. Describit, quod sit boni principis officium, nempe, de ciuibus bene mereri, ut ipsi uicißim debitam obedientiam præstent.

XIX. Ecce duas tibi Daphni &c. Poeta uidetur alludere ad parentalia festa, quæ in honorem parentum,

rentum, amicorumq; defunctorum annua religione celebrabantur sacrificijs, oblationibus, conuiuijs, ac editis spectaculis. Ritum huius sacrificij describit Ouidius lib. 2. Fastorum, & attingit Virgilius lib. 5. Aene. quo in loco inducit Aeneam Anchisæ patri editis ludis parentalia celebrantem imitatus Homerum, qui 23. libro Iliados describit ludos defuncto Patroclo ab Achille celebratos. Quod autem meminit cantionum & saltationum hoc loco Virgilius, id non citra decori rationem fieri intelligendum est. Nam Græcis usitatum fuit sacrificia facere adhibita Musica & in conuiuijs & commessationibus choreas ducere, ut apud Alcinoum lib. 8. Odyß. Homeri. Porrò cum hæc omnia sub Theocriti persona dici uelimus, commode mutuatus est Damœtæ Cantoris personam ex Idyllio Theocriti. Recte uero & Aegonem inducit Cretensem, hoc est, Græcum. Nam Lyctus oppidi nomen fuit in Creta, quod á Q. Metello in bello Mithridatico expugnatum Florus scribit.

EROTEMATA IN SEXTAM ECLOGAM.

CVR POETA HVIC ECLOGAE Titulum Sileni indidit.

Quia putant quidam in hac Ecloga á Virgilio describi sectam Epicureorum, quam ipse & Varus á Syrone quodam, quem hic Silenum fingit, didicerit.

VNDE NOMEN HABET Silenus?

Interpres Nicandri ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν deriuatum existimat, quod est maledictis proscindere, & dicaciter illudere, id quod proprium est ebriosorum. Per metaphoram autem hodie omnes temulentos & uoluptati deditos licet appellare Silenos, Trunckenboltze, Schlemmer, Brasser, Schwelger. Alij uolunt nomen Sileni á torcularibus factum esse. Nam ληνὸς est torcular. Et Silenus aut significat idem, quod quatiens torcular, aut idem, quod Deus torcularis. Sed in omnibus iocosis descriptionibus significat hominem uoluptati deditum, & tamen ingeniosum & facetum, ut sunt in aulis antiqui parasiti, qui ingenijs antecellũt.

IN CVIVS GRACIAM CONscripta est hæc Ecloga á Poeta?

Fuit Varus, cui ab Augusto Cæsare cura emendandorum carminum Aeneidos demendata est, ad quẽ non puto scribi hanc Eclogam, sed uidetur potius conscripta esse in gratiam illius Quintilij Vari Romani, qui cum in Germaniam Druso interempto cum exercitu missus esset, superbiaq; & libidine sibi odium Germanorum conciliaret, ab Arminio Germano iuuene, qui libertatis tuendæ causa ciues ad arma coëgerat, inter Amisiam & Luppiam VVestphaliæ amnes inopinato prelio oppressus, & tribus deletis legionibus fusus ac superatus mortem ipse sibi consciuit, amisso toto exercitu, amißis signis, et duabus Aquilis, Quam

Lege Cornelium Tacitum de moribus Germanorum, et Dialogum Hutteni qui inscribitur Arminius.

cladem adeo indigne tulit populus Romanus, ut publico luctu nihil peius se perpessum esse fateretur. Augustus uero Cæsar adeo consternatus est hac cæde, ut præ dolore ac metu frontem sæpius parieti illiserit, clamore dolorem fassus, Vare redde legiones, populumq; Romanum die ac noctu Romæ in excubijs continuit, ueritus, ne Germani cœptum urgentes Romam inuaderent. Commissa hæc pugna est ab urbe condita anno 762. A nato Christo 11. Lege Strabonem lib. 7. Apud Sueto. de Tiberio Cæsare. Apud L. Florum de gestis Roma. lib. 4. in fine cap. 12. qui hac clade factum esse scribit, ut imperium Romanum, quod ante in littore marino terminatum erat, in ripa Rheni fluminis consisteret. Porrò Arminius patrem habuit Sigimerum Ducem Cheruscorum, qua appellatione apparet eos populos dictos, qui nunc partem Saxoniæ VVestphaliam ad ripas Visurgi incolunt. Is cum á pueris Heroicã indolem ac uirtutis studia exercuisset, eò promouit adolescentiam, ut iuuenis adhuc tantum negocij Romanis facesseret, quantum alius nemo unquam. Itaq; paßim á scriptoribus magnis laudibus celebratur. Nam Tacitus eum celerem sensu, et optimũ armis, Velleius paterculus liberatorem Germaniæ appellat. Nos in eius laudem sentimus Virgiliũ cõposuisse eos uersiculos, qui sunt in 11. Aeneid. Catillus Iolam, Ingentẽq; animis, ingentẽ corpore et armis Deijcit Herminiũ, nudo cui uertice fulua Cæsaries, undiq; humeri, nec uulnera terrẽt, Tãtus in arma patet. Apparet autẽ

Virgi-

Virgilium tanto Heroi, cuius laus ac uirtus eo tempore fuit celeberrima, uaticinari uoluisse interitum à Romanis imminere, in gratiam Augusti Cæsaris, dum à Catillo eum interfici uelit, Cæterum de proceritate corporis, uirtute, fortitudine Germanorum lege Cæsarem lib. 1.

CVIVS GENERIS EST Sexta Ecloga?

Generis est Demonstratiui. Hæc enim Ecloga continet laudes Vari, & Epicureæ uitæ, seu sectæ.

QVID EST SENTIENDVM DE doctrina Epicuri, qui dixit mundum & uniuersam naturam extitisse casu ex atomis?

R. Quod Epicurus sentit corpora temere ex atomis nasci. Item, infinitos esse mundos sic conflatos, quorum semper aliqui intereant, aliqui nascantur, absurdißimum est delyramentum.

QVOMODO PROBATVR HOC?

Singulæ res in natura ad certos usus, & fines nascuntur. Ergo non est consentaneum casu id fieri. Casus enim non habet certos, & determinatos fines.

QVOT HABET PARTES hæc Ecloga?

Tres. PRIMA pars huius Eclogæ est exordium ab occupatione, in quo ostendit se ideo amicorum Cæsaris, qui de ipso bene erant meriti, egregia facta non celebrare suis carminibus, quod iussus sit ab ipso Augu-

Augusto Bucolica scribere. Præterea utitur egregia excusatione rerum & temporum per translationem, in qua fatetur se quidem de Theocriti, quem in omnibus imitandum susceperit, simplicitate recessisse, sed tamen excusari aliquo modo posse, quoniam Theocritica illa simplicitas ubiq; præstari non potuerit. Tandem per reiectionem proponit se tamen in hoc Bucolico carmine laudes ipsius Vari prædicaturum esse. SECUNDA pars est Narratio pulcherrima exornata Hypotyposi Sileni, in qua fingit primum Silenum ebrium, cui adiungit duos Satyros in Venerem proclives. Adijcit & Nympham, cui ipse minatur stuprum. TERTIA pars est ipsa cantilena de rerum primordijs & mundi ortu. Hæc autem sumpta sunt ex doctrina Epicureorum.

QVI SVNT LOCI PRINCIPAliter in hac Ecloga obseruandi?

PRIMO, Quod ait Poeta, se ab Apolline admonitum fuisse, ut diceret deductum carmen, uult nos monere nostrarum uirium, ut scilicet uarijs & leuibus argumentis tanquam melioribus & grauioribus scriptis nostris præludamus, & ingenium ad multos grauiores res tractandas præparemus & excitemus.

SECUNDO, quod addit Poeta acceptissima esse scripta, Apollini, dedicata Varo, significatur summum hunc fautorem Poetarum & patronum optimorum studiorum fuisse. Per Apollinem autem intelligitur

tur Octauianus Augustus Cæsar, cuius iussum in componendis carminibus Poeta sequatur.

TERTIO, quod Poeta conuertat orationem ad Musas, inquiens, pergite Pierides, significat eas esse largitrices facultatis Poeticæ, sicut nos Christianos decet inuocare Deum æternum patrem Domini nostri Ihesu Christi, ut ipse felicem successum studiorum nostrorum largiatur & tueatur.

QVARTO, uersus, Et grauis attrita pendebat cantharus ansa, est ueluti emblema omnium potantium, quorum Dominus est Silenus. Nam insignia ipsorum sunt cantharus ceruisiæ, aut uitrum Vini.

QVINTO, Quod ut Bacchi comitem & quasi magistrum Silenum semper fingunt Poetæ, Ita quoq; Sileno adesse Nymphas, significant ebrietatem & crapulam semper comitari libidinem, Iuxta illud Comici dictum, sine Cerere & Baccho friget Venus.

SEXTO, quod Poeta per Hyperbolem dicit etiam feras ad Sileni cantum duxisse choros, & arbores, quasi audirent & iucundo sensu illorum tangerentur, commotas fuisse, commendat Musicam, cuius tanta est uis, ut non moueat solum agrestia & irrationabilia, sed etiam immobilia.

SEPTIMO. Quod fingit ex lapidibus Pyrrhæ iactis renatum genus humanum, alludit ad duriciem atq; feritatem. Nam Soboles eorum, á quibus gignitur naturam imitatur, Iuxta illud Horatij, fortes creantur fortibus, & bonis. Item Virg. Inde homines nati durum genus.

OCTAVO, Quod fingunt Poetæ Prometheа propter ignem, quem á Dijs furatus sit é cœlo, in monte Caucaso á Mercurio alligatum, ut ibi Aquila eius iecur renascens perpetuo exederet, significant Promethea rerum Mathematicarum apprime studiosum fuisse & quia in Caucaso monte Scythiæ syderum motum, ortum & occasum obseruabat, fingunt eius iecur ab Aquila, hoc est, studio & cura harum rerum cognoscendarum exedi & confici.

NONO, Quod Prometheus fratri suo Epimetheo dissuaserit recipere Pandoram á Ioue missam, indicatur, quomodo ratio humana sæpe moneat recta & utilia, & tamen appetitus seu affectus non obtemperent rectis consilijs. Quia uoluptas recta & honesta consilia pessundat, atq; opprimit.

DECIMO, Fabula de Hyla alludit ad Herculis sacra, in quibus, qui ea celebrabant, discurrendo in Herculis gratiam subinde clamabant Hyla Hyla, uide Theocri. Idyll. 13. & Valerium Flaccum lib. 3. Item in Argonauticis Orphei.

XI. Fabula de Pasiphaê Minois Cretæ insulæ regis uxore, quæ Taurum bellorum Minois ducem adamauit, & ex mixto & adulterino concubitu puerũ suscepit, execratur aut adulterium, aut indicat uulgi furorem, aut pertinet ad locum communem, quod amor adigat ad insaniam, Iuxta illud, Amor est amaror & error. Vide Plutar. in uita Thesei & palephatum

in libello de non credendis historijs, & Ouid. 6. Meta.

XII. Quod Proetides Argiuorum regis tres filiæ excellenti forma præditæ Iunonem præ se contempserint, ob eamq; impietatem in insaniam prolapsæ sunt, ut se uaccas crederent, uoluerunt Poetæ ostendere, quàm horribiliter soleat semper à Deo puniri impietas.

XIII. Quod Hippomanes Martis filius malis aureis à Venere acceptis cursu uicit Atlantam puellam, uidetur penè innuere, quod auro plærunq; omnia expugnentur, Iuxta illud, Auro pulsa fides, auro uenalia iura, Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor. Ouid. 10. Meta. & Hesiodus in Theogonia.

XIIII. Fabula Phaëthontis uidetur nos deterrere à negocio maiore, quam ut uires nostræ sufficiant. Ouid. 2. Meta.

XV. Encomium Cornelij Galli, qui in monte Helicone hauserit spiritum quendam, ex quo factus sit Poeta, indicat neminem in ullo studij genere aliquid dignum laude & admiratione efficere posse sine inclinationibus naturalibus, iuxta illud, Impetus hic sacræ semina mentis habet.

XVI. Fabulæ de duabus Scyllis ostendunt exemplum impietatis erga parentes à Deo punitæ.

XVII. De Philomela & Tereo fabula nihil aliud nobis ob oculos ponere uidetur, quàm Deum grauißime punire fidem matrimonij uiolatam.

EROTEMATA IN SEPTIMAM ECLOGAM.

QVOS INTELLIGIT POETA *sub persona Daphnidis, Thyrsidos & Corydonis?*

Quidam putant non inepte Iulium Cæsarem intelligi posse, Cuius interitum supra sub Dapnidis persona deplorauit, ut is quasi ex apotheosi apparens, tanquam numen quoddam decertantes audire uideatur. Per Coridonem, Virgilium. Per Thyrsim, qui á Coridone canente uincitur, Virgilij æmulos et aduersarios.

CVIVS GENERIS EST *hæc Ecloga?*

Hæc Ecloga eiusdem generis causarum & argumenti est, cuius fuit superior tertia Ecloga. Contijnet enim quoq; contentiosum & ἀμοιβαῖον duorum pastorum carmen de laude ingenij.

QVAE IDYLLIA THEOCRITI *Poeta hic imitatur?*

R. Idyllion 6. 7. 8. 9. id quod facile cernet, quem non pigeat conferre locos.

QVOT HABET PARTES?

Tres. PRIMA *pars est occasio certaminis, quam orditur á prosographia duorum Arcadum, quos laudat primum ab ætate adulta. Secundo á natione. Tertio ab usu artis, idq; facit eo consilio, ut attentius futurum certamen audiretur.* SECVNDA *pars*

est ipsum certamen, quod constat sex argumentis. I. Inuocatio est Musarum, qua utitur, Quia cupit ad Poeticen aspirare. Triplici autem nomine inuocat eas, Primum ab honesto, Quia ò Musæ, uos summo amore complector, honestum est uestri studiosum fieri uoti compotem. Secundum à facili, uobis erit facile mihi aspirare in carmine, siquidem hoc est uestrum officium. Tertium ab exemplo Codri, Cum Codro in uersibus faciendis concesseritis fœlicitatem, æquum est mihi uos quoq; non deesse. II. Dona adduntur, quibus inuicem certant. III. Citantur amores. IIII. De tempestatibus solliciti sunt. V. Conferunt suos amores. VI. Conferunt arbores. TERTIA pars est Conclusio, in qua Corydoni defertur palma uictoriæ.

QVI SVNT LOCI COMMVnes in hac Ecloga?

PRIMO, quod ait, Etsi quid cessare potes, indicat modestiam adhibendam esse in rogando, Iuxta illud Homeri, χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

SECVNDO, Versus, Posthabui tamen illorum mea seria ludo, torqueri potest prouerbialiter in eos, qui serijs sæpe rebus posthabitis nugas agunt. Exemplo sunt quidem patresfamilias, qui in rebus parui momenti sunt solliciti. Ea uero, quæ rei familiari maxime obfutura uidentur, ne semel quidem respiciunt. Item exemplo poterunt etiam esse magistratus, qui interdum

terdum leuia errata ciuium grauißime puniunt, furta autem, adulteria, aut homicidia uix olfaciũt, nedum puniũt. Et sic ad omnes status uitæ cõmode referri potest.

TERTIO, quod per μίμησιν deridet illud carminis pastoralis certamẽ, inquiens, Certamen erat, Corydon cum Thyrside magnũ, indicat, quomodo hæc studia Musica neq; uulgus admiretur, neq; locupletes magnificiant, ac potius plæriq; derideant, et spernant.

QVARTO, cum ait, Alternos Musæ meminisse uolebant, respicit ad uicißitudinem, quæ in omnibus rebus gratißima est. Vide supra in 3. Eclog. Amant alterna Camœnæ.

QVINTO, cum ait, Nymphæ, noster amor, nobis concedite carmen, alludit per istam inuocationem ad Poeticum spiritum, qui cœlestis est, id quod satis apparet ex Platone in Ione, qui de Poetico furore dialogus est, et ex oratione Ciceronis ꝑ Archia Poeta.

SEXTO, cum ait, Aut si non possumus omnes, Hic arguta caua pendebit fistula Pinu, subindicat certa quadam ingenij fælicitate ad facultatem scribendi carmina opus esse. Etsi enim quidam studium & diligentiam adhibent, Tamen non Poetæ excellentes euadunt, nisi ad hoc sunt à natura ficti & appositi. Deinde uidetur hic uersus innuere etiam, ut nihil suscipiamus repugnante natura, Iuxta illud, Tu nihil inuita dices, faciesue Minerua.

SEPTIMO, quod ait, Inuidia rumpantur ut ilia Codro, prouerbialiter dici potest de ineptis

& inuidis, qui fælicitate aliorum marcescunt.

OCTAVO, quod ait, si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto, alludit ad locum communem, amicorum munera animo, non dignitate ponderanda esse.

NONO, quod ait, Hic Boreæ tantum curamus frigora, quantum Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas. Prouerbialiter dicitur de ijs, qui superbe rem aliquam contemnunt, ut improbi nihil curant leges & religionem. Potest etiam dici de fure, cui nihil neq; clausum, neq; obsignatum est. Tertio dicitur de malis, qui perrumpunt leges, sicut flumina intumescentia extra ripas erumpunt. Item de indoctis & cupidis, qui tantum curant ordinem et leges, quantum lupus numerum ouium.

EROTEMATA IN OCTAVAM ECLOGAM.

QVARE HAEC ECLOGA inscribitur Pharmaceutria?

Hæc Ecloga dicta est Pharmaceutria à secundo Theocriti Idyllio, cui idem nomen est, quod hic imitatus est Virgilius. Incantatrix autem habet primas partes in hac Ecloga.

VNDE NOMEN HABET Pharmaceutria?

φαρμακεύτρια dicitur uenefica mulier uel incantatrix,

tatrix, à φαρμακεύω, hoc est, incanto, & ueneno inficio. Et φαρμακεῖς, hoc est, incantatores, & qui sic conuinciuntur, φαρμακευθέντες sunt ipsis Græcis. φάρμακα dicuntur etiam ueneficia, quia sunt etiam λύτρα.

CVIVS GENERIS EST Octaua Ecloga?

Generis Demonstratiui. Est enim querela perpetua amantium suam uicem deplorantium.

QVOT HABET PARTES?

Tres. PRIMA pars huius Eclogæ est exordium, in quo conciliat sibi Augusti fauorem. Hanc enim Eclogam in eius gratiam scripsisse uidetur. SECVNDA pars est querela pastoris contempti à puella alteri collocata, à qua tamen se amari sperauerat. TERTIA pars est Narratio recitans, quomodo mulier ueneficijs quibusdam & incantamentis animum uiri peruertere, & in suum amorem allicere conatur.

QVAE THEOCRITI IDYLLIA imitatur in querela?

Comasten seu Amaryllida. Deinde Cyclopen, ubi conqueritur similiter Cyclops se sperni à Galathea.

QVARE IN TERTIA PARTE Eclogæ imitatur Pharmaceutriam Theocriti?

Duplici de causa hoc fecit Poeta. Primum, ut

ſtylum exerceret. Deinde, ut derideret Magicas artes, quas hic ſignificat inanes eſſe.

QVI SVNT LOCI IN HAC Ecloga digni obſeruatione?

PRIMO, quod ait, quomodo Damon & Alpheſiboeus cantilenæ ſuauitate coëgerunt etiam ea animalia obliuiſci paſcuorum, quæ alioqui ſunt paſcendi auidiſsima, commendat iterum ſtudium Muſices, de qua ſupra in ſecunda Ecloga dictum eſt.

SECVNDO, quod Poeta optat ſibi contingere hanc felicitatem, ut poſsit res geſtas, uirtutem, ſapientiam, eruditionem literarum digna celebratione proſequi & toti orbi declarare, indicat, quo animo debeant eſſe affecti docti erga princepes optime de repu. meritos. Aequum enim eſt, ut docti celebrent bonos principes, ſicut etiam Theocritus indicat Idyllio 16. inquiens nos, qui mortales ſumus, decere, ut homines celebremus mortales.

TERTIO, quod inquit, Hanc ſine tempora circum Inter uictrices hederam tibi ſerpere lauros, ſignificat allegorice, bonorum principum eſſe officium, ut gloriam Muſarum connumerari inter triumphos patiantur. Niſi enim celebrarentur res geſtæ magnorũ Ducum literis Poetarum, facile inobſcuraret eas obliuio. Rectiſsime igitur dixit Theocritus Idyllio 16.

Ipſos præcipue Muſarum ſacra ferentes
Præcipuo Vates colat, & ueneretur honore.
Vt ſecum Stygias laudem ferat ipſe ſub umbras,
Nec triſtes peragat luctus Acheronte ſub imo. Quar-

QVARTO, quod allegorice queritur alterum sibi præferri & in delicijs esse potentibus et commodis & uoluptatibus frui, egregie depingit affectum amantium, quos etiam amoris potentia in tædium uitæ rapit, si uiderint se excludi & contemni. Verisimile autem est, Poetam uoluisse quorundam magnorum & iudicia peruersa de eruditione & uoluntatem abhorrentem à studijs humanitatis notare.

QVINTO, cum ait, Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes, multa complectitur. Primum enim egregie describit puellarum stultam atq; ineptam in deligendo procacitatem atq; insolentiam, si quando euenit, ut plures eandem ambiant, illum, qui est incommodior, admirentur & amplectantur. Deinde prouerbialiter designat, non satis esse aptum matrimonium, ubi sit dißimilitudo, Iuxta illud, Aequalem tibi uxorem ducito.

SEXTO, cum inquit, Mopse nouas incide faces, tibi ducitur uxor, alludit ad ueterem consuetudinem, quæ in nuptijs obseruabatur. Et submonet honestum esse, ut ordo quidam sit in ceremonijs nuptialibus, quod attinet ad templum, mensam, choreas, & repotia.

SEPTIMO, cum ait, ò digna coniuncta uiro, dum despicis omnes, alludit ad commune prouerbium, similes habent labra lactucas. Accidit enim sæpe, ut puella spretis multis honestis adolescentibus postea nubat sordido cuidam Mopso. Itaq; indicat Deum grauißime punire superbiam, & contemptum iuramentorum.

OCTAVO, cum inquit, ut uidi, ut perij, ut me malus abstulit error, attingit locum communem, quod amor sit amaror & error, Iuxta illud Musæi, ἤδη καὶ γλυκύπικρον ἐδέξατο κέντρον ἐρώτων, hoc est, iam & suauamarum suscepit stimulum amorum.

NONO, cum inquit, Nunc scio, quid sit amor, describit, quàm uehemens affectus sit amor, & quantos cruciatus adferat animo. Et hoc obseruandum est, quod hic locus in hac Ecloga præcipuus est de uehementia & sæuicia amoris.

DECIMO, quod amorem fingit Thracium, aut Garamanticum, indicat barbariem, immanitatem, feritatemq; amoris. Nam talis est affectus, ut qui omnia uincat, id quod repetit Poeta in 10. Ecloga.

XI. quod inquit, sæuus amor docuit natorum sanguine matrem commaculare manus &c. indicat, quomodo sæpe amor sit causa maximorum facinorum committendorum. Exemplum habes in Scylla Nisi regis Megarensium filia.

XII. quod ait, omnia uel medium fiant mare, est imprecatio furentis, ut tota rerum natura immutetur. Sic enim amantes solent æstuare amore, ut præ dolore & desperatione mortem sibi uelint consciscere, quemadmodum Xerxes apud Herodotum ait, multa accidere homini, ubi malit non esse, quàm esse.

XIII. Versus ille, Non omnia possumus omnes, indicat fieri non posse, ut omnis felicitas uni contingat;

tingat, Iuxta illud Liuij, Non omnia eidem Dij dederunt, uincere scis Hannibal, Victoria uti nescis. Item Theognis, παύροις ἀνθρώπων ἀρετὴ καὶ κάλλος ὀπηδεῖ, ὄλβιος ὃς τούτων ἀμφοτέρων ἔλαχεν.

XIIII. Quod dicit socios Vlyßis carminibus, hoc est, incantationibus à Circe immutatos esse in beluas, ursos, apros, canes, indicat, quàm prorsus omnem humanitatem exuant illi, qui libidine & luxu diffluunt. Vide Homerum Odyß. κ. & Ouidium Metamorph. 14.

XV. Versus ille, An qui amant, ipsi sibi somnia fingunt, est prouerbium, quo significatur uehementer aliquid cupientes ὀνειροπολεῖν τὸ ἐπιθυμούμενον. Et pertinet huc id, quod aiunt Græci, ἐλπίδας εἶναι τῶν γρηγορότων ἐνύπνια. Amantes igitur sibi cupiditatis & desiderij sui inanes species quasi somniorum effingere dicit.

EROTEMATA IN NONAM ECLOGAM.

IN CVIUS GRATIAM HAEC Ecloga conscripta est?

Tota hæc Ecloga in honorem Augusti & amicorum pro Virgilio intercedentium conscripta est, sicuti reliquæ ferè omnes.

QVA OCCASIONE scripta dicitur?

Quod Centurio quidam conatus fuerat expellere Virgilium ex prædio, quod Augustus Virgilio restituerat.

CVIVS GENERIS EST hæc Ecloga?

Oratio est generis Demonstratiui. Est enim querela, quod rursus sit eiectus agris, Inseruit etiam laudes quasdam Menalcæ ob ingenium & felicitatem scribendi carmina.

QVOT HABET PARTES?

Duas. PRIOR pars continet querelam, in qua Mœris deplorat uicem ueterum colonorum, qui agris & poßeßionibus suis á ueteranis, quibus illi aßignati erant, quæ alteri pastori recitat Mœris, & hic multa sunt inserta de laudibus Virgilij.

QVAE THEOCRITI IDYLLia imitatur Poeta?

Partim imitatur Thalysia & Cyclopem, partim Comastem, & Thyonichum.

QVI SVNT LOCI COMMVnes insignes in hac Ecloga?

PRIMO, quod ait, Quod numquam ueriti sumus indicat homines sic natura comparatos esse, ut omnes in rebus secundis nunquam aduersa prospiciant. Quamobrem sæpe impræmeditati opprimuntur in calamitatibus, quæ quidem quanto magis improuisæ sunt, tanto magis offendunt, Iuxta illud Ciceronis in 1. Tusc. Perturbationes grauiores etiam fiunt, cum cala-

calamitates impræmeditantes nos subito inuadunt.

SECVNDO, cum ait, Hæc mea sunt, ueteres migrate coloni, elegans sarcasmus est designans, quam calamitosa res sit bellum ciuile, in quo ciues plærunque ex paternis bonis expelluntur.

TERTIO, cum ait, Nunc uicti tristes, quoniam sors omnia uersat, perstringit inconstantiam humanarum rerum, & indicat, quod Respub. habeant fatales uicißitudines & pœnas. Testatur etiam Poeta, quomodo fortuna in omni re dominetur, iuxta illud Demosthenis, 2. Olynth. μεγάλη γὰρ ῥοπὴ, μᾶλλον δὲ ὅλον ἡ τύχη παρὰ πάντ᾽ ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα.

QVARTO, cum ait, Mœris, sed carmina tantũ Nostra ualent Lycida tela inter Martia, quantũ Chaonias dicunt aquila ueniente columbas, indicat, quod bella ciuilia maxime noceant literis, disciplinæ, legibus, & similibus pacis artibus, & efficiant barbariem ac uastitatem, iuxta illud, silent inter arma leges, & omnia humanitatis studia.

QVINTO, cum ait, Heu tua nobis penè simul tecum solatia rapta Menalca, alludit ad officium Poetarum, quod non debeant in suis Poematis tantum honestißima uitæ præcepta, & optima exempla

empla proponere, Verũ etiam illam asperitatem præceptorum fabulis iucundis tanquam acerbum Pharmacum melle conditum & dulcoratum degustandam & amplectendam proponere, iuxta illud Horatij,

Aut prodesse uolunt, aut delectare Poetæ,
Aut simul & iucunda & idonea dicere uitæ.

SEXTO, Cum ait, Cantantes sublime ferent ad sydera Cygni, ostendit Poetas insigni eruditione præditos, quorum cantio cum Cygnea conferri solet, immortalitati mandare res clarorum uirorum. Quod autem Poetæ commode cum Cygnis conferantur, uide carmen duabus Tragedijs Euripidis Hecubæ & Iphigeniæ ab Erasmo præfixum, quod quia est perelegans, subijciam.

Scite Poetas doctus appellat Maro
Cygnos, Guilielme præsulum eximium decus.
Res mira dictu, ut cuncta consensu nouo,
Vati atq; olori congruant diuinitus.
Niueus utriq; candor, alter lacteis
Plumis, amico candet alter pectore.
Musis uterq; gratus, ac Phœbo sacer.
Et lympidis uterq; gaudet amnibus,
Ripis ad æque uterq; gaudet herbidis.
Pariter canorus uterq;, tum potißimum,
Vicina seram mors senectam cum premit.
Sed, qui tenent arcana naturæ, negant
Audiri olorem, ni sonent fauonij.
Nil ego mirum, barbaro hoc si seculo

Canorus

Canorus olim obmutuit uatum chorus,
Quum tot procaces undiq; obstrepant noti.
Boreæq; tristes inuidorum & pinguium,
Nulli fauentum prouocent fauonij &c.

SEPTIMO, Cum ait Lycidas, Me quoq; dicunt Vatem pastores, sed non ego credulus illis, indicat uerecunde sentiendum esse de dotibus ingenij, quibus nos Deus ad nominis sui gloriam illustrandam ornauit. Deus enim superbis resistit, humilibus uero dat gratiam.

OCTAVO, Cum ait, Digna, sed argutos inter strepere anser olores, docet prouerbialiter, quomodo indocti sæpe Poetæ inter doctos garriant, iuxta illud, Graculus inter Musas.

NONO, Cum ait, Hic uer purpureum &c. figurate Poeta indicat quietam uitam in studijs literarum anteponendam esse aulicæ uitæ, & turbulentis negocijs publicis.

DECIMO, Cum ait, Insere Daphni, pyros, carpent tua Poma nepotes, significat iam gubernante orbem terrarum Octauiano Cæsare, tanquam Deo, rempub. iterum pacatam fore, & pacis artes reflorescere.

XI. Cum ait, Omnia fert ætas, alludit ad locum communem de ingrauescente ætate, quæ languefacit omnes uires, iuxta illud Horatij in arte Poetica.
Multa ferunt anni uenientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Item Iuuenalis,

Circum=

Circumsilit agmine facto Morborum omne genus. Item, Ipsa senectus est morbus.

XII. Quod ait, Minus uia ledet, indicat comitem facundum in uia pro uehiculo esse.

EROTEMATA IN DECIMAM ECLOGAM.

CVIVS GENERIS EST hæc postrema Ecloga?

Generis demonstratiui est. Continet enim querelam de Galli amore & insania, qui Cytherin meretricem deperierat, quæ Gallo spreto Antonium in Galliam cum exercitu proficiscentem secuta est.

QVOT HABET PARTES?

Quatuor. PRIMA pars Eclogæ est exordium, in quo inuocat Musam, ut aspiret sibi uolenti scribere ultimam Eclogam. SECVNDA pars est expostulatio cum Musis, quod non affuerunt Gallo, neq; eum consolatæ sint. TERTIA pars est μετάβασις, qua respondet Gallus pastoribus, qui ad eum consolandum confluxerant, & ostendit illorum officium sibi gratum esse. QVARTA pars est epilogus omnium Eclogarum.

IMITATVS NE EST ETIAM Theocritum hoc loco?

Imò. Plærosq; enim locos mutuatus est ex Thyrside, Ergatinis, & Thalysijs Theocriti. Qui

QVI SVNT LOCI COMMVNES?

PRIMVS est memorabile exemplum aulicæ fortunæ. Nam cum Gallus fuisset Augusto familiarissimus, Tamen uenit tandem in suspicionem defectionis, & iudicatus est hostis.

SECVNDVS est, quàm uehemens affectus sit amor, & quod non poßit uinci, si quis indulgeat desiderio. Nam quod Poeta fingit, Gallum perijsse amore, indicat nullum tantum robur, nullam tantam uim animi esse in summis hominibus, quæ non poßit eneruari & dissolui uoluptatum illecebris, nullum impetum tantum esse, qui non elanguescat, qui non domari & subigi poßit captus uoluptatum dulcedine, quæ in speciem uidetur.

TERTIVS est, Atq; utinam ex uobis unus, uestriq; fuissem &c. Vbi significat uitam priuatam dulciorem esse administratione reipub.

QVARTVS est, quod fingit Gallum non superatum fuisse amore, si Musæ affuissent, procul dubio nihil aliud significare uoluit, quàm amorem uehementißimum affectum egregijs præceptis haustis ex reconditis et abditis Philosophiæ fontibus, si non tolli, at certe molliri posse.

QVINTVS est, Vestra meos olim si fistula dicat amores, ubi testatur Musicam amoris & iræ ardores componere, id quod supra in 2. Ecloga dictum est.

SEX-

SEXTVS est, quod fingit Gallum subinde alia atq; alia consilia capere, ut obliuiscatur amoris, significat inconstantiam eorum, qui amant.

FINIS QVAESTIVNCVLARVM in Bucolica Virgilij.

M. D. LXV.

MISCEL-

MISCELLANEA STEPHANI RICCII, IN QVIBVS VARIAE *historiæ & fabulæ lectu dignæ recitantur.*

I.

HISTORICA NARRATIO de Apelle.

Celebrata est Apellis pictoris in multorum tam Græcorum, quam Latinorum literis insignis peritia artis pingendi. Præter cætera uero suæ artis monumenta egregia fertur pinxisse imaginem quandam. Perfecta autem imagine proposuit eam transeuntibus spectandam. Ipse interim, ut fuit magna in homine prudentia post tabulam latens, multorum diuersas de imagine sententias audire uoluit, ut uitia, quæ notabant, auscultaret, atq; si quid audiret, quod digne reprehenderent, immutaret ac corrigeret. Spectatum uenere multi, placuit pictura. Accessit etiam præter reliquos non paucos Sutor quidam imaginem itidem spectaturus. Homo simul atq; imaginem contemplatus est, calciamenta reprehendit. Apelles audito Sutoris iudicio non inepto, (Nam artifex de sua arte iudicarat) immutauit calceos. Postero autem die rursum exhibuit imaginem & pro more post tabulam abdebat se, auditurus num & aliud reprehensionem mereretur.

Rediijt idem Sutor. Verum eodem emendationem pristinæ admonitionis cauillante circa alias imaginis partes, Apelles indignatus prospiciens scommate acerbo hominem imperitum iugulans dixit, Ne Sutor ultra crepidam. Iudicauit uir ille sapientissimus earum rerum quenq; iudicem esse idoneum, quarum est eruditus, reliquos iudicare non minus inepte, quam cæcos de coloribus.

II.

NARRATIO, QVOMODO GRAECI pinxerint χάριτας, & quid spectarint illa pictura.

Vt doctissima illa Græcia omnimoda rerum omnium cognitione & eximia eruditione cumulata fuit, ita multa præclare & scite confinxit, inter quæ non postremum locum meretur figmentum illud περὶ τῶν χαρίτων, quas Romani Græcorum in omnibus fere Simiæ, Gratias appellarunt. Breuiter autem sic sunt commenti, esse tres Gratias perpetuas Musarum comites, nunquam non illis familiariter uti, Quo figmento haud dubie aliud nihil indicare uoluerunt, quicunq; tandem huius fabulæ auctores fuerunt, quàm bonas literas adferre secum & requirere suauitatem quandam morum & φιλανθρωπίαν, ac insigne quoddam gratitudinis studium in illis, qui literas discunt, ne ferocia & insolentia imperitæ multitudinis fiant simillimi,

millimi, neue morositate tanta laborent, ut uix ulli cum illis conueniat atq; hoc est, quod Senarius Græcus habet, ἄπαυστος ἡ παίδευσις ἡμέρους ποιεῖ. Ad hoc situm erat templum Gratiarum Athenis in media urbe, ut testarentur, nihil nos tam decere, nihil tam necessarium esse in rebus humanis, quàm, ut nos inuicem beneficijs perpetuis deuinciamus, & utcunq; atq; ubicunq; opus sit, obsequamur, Alioqui cui futura est hæc uita uitalis? ut cum Ennio dicam, sicut & Theocritus dicit in Gratijs, τὶ γὰρ χαρίτων ἀγαπατὸν ἀνθρώποις ἀπάνευθεν. Nam mutua hominum societate ac animorum coniunctione sublata, quid à feris differimus? Atq; hoc est, cur putem M. Ciceronem rectißime dixisse, Solem è mundo tollere, qui amicitiam è uita tollunt. Nam ad hanc uel inprimis confinxit nos & genuit natura, neq; ulla etiam re propius ad deos accedimus, quàm beneficia ultro, citroq; dando et accipiendo, id quod uult etiam Græcorum prouerbium, ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. Et Aristoteles censet nulla re alia sustineri res ac uitam mortalium, quàm neceßitudine mutua hominum. Extat hac de re elegantißima ad Philippum epistola. χάριτος ἀμοιβὴ καὶ δόσις συνέχει τοὺς τῶν ἀνθρώπων βίους.

Præterea pingebantur nudæ, ut docerent bene-

 ficia

ficia libere collocanda esse, beneficijs adstringendos esse homines, non ideo, quod antea sunt de nobis benemeriti, Neq; etiam in hoc, ut beneficia maiori fœnore ad nos reditura esse speremus, id quod illi faciunt, qui amicitias utilitate probant, sed ideo, ut homines nos esse comprobemus, ut naturæ indita nobis semina proferamus, quibus ad iuuandos alios incitamur, id quod docent nos etiam sacræ literæ. Atq; hæc omnia mira quadam concinnitate et mira arte complexi sunt Græci in nominibus Gratiarum, quæ neq; Germanæ neq; Latinæ linguæ penuria fæliciter satis pro rei dignitate reddere potest, sicut & plæraq; alia Græcæ linguæ uocabula, quæ in fingendis elegantibus compositionibus ferè regnat ubiq;. Postremo sic erant pictæ, ut una auersa, reliquæ duæ aduersæ starent, quod scilicet officium in nos collatum officio duplici compensandum sit, id quod etiam indicant multæ paßim Græcorum elegantißimæ sententiæ. Nullum enim est officium referenda gratia magis necessarium. Hesiodus maiore mensura, quæ acceperis utenda, si modo poßis, reddere iubet, Quid nam beneficio prouocati facere debemus? Et M. Cicero satis belle putat referre, ut agros fertiles imitemur, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. Hesiodi Versiculi ij sunt,

εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος εὖ δ' ἀποδοῦναι
αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι.

Ita scilicet pulchro isto figmento eruditi illi uiri

indica-

indicare uoluerunt, quantum alij alijs debeamus, quomodo inuicem affectos esse conueniat, quid proprie hominem deceat, nempe, gratitudo, societas, & mutuum studium erga quosuis, erga illos maxime, qui profuerunt, Alioqui non esset suaue uiuere, remuneratione beneuolentiæ, uicißitudine studiorum, officiorumq; sublata, quibus nihil est iucundius, ad quæ uel sola natura nos condidit, quibus solis à feris & reliquis bestijs differimus. Istis haud dubie ductus rationibus Plato Philosophus cum hominem definiuit esse sociale & πολιτικὸν animal. Romani item humanitatem uocauere commoditatem & suauitatem morum in homine, procul dubio à uocabulo hominis uocabulum humanitatis deduxerunt, ut significarent proprie humanitatem hominis esse, appellatione hominis non uenire, qui ab humanitate sint alieni.

μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται.

III.

NARRATIO DE FIDE ROMAnorum & de perfidia punita.

Romanum Imperium ab exigua omnino ac parua origine supra modum creuit, & ad tantam amplitudinem emicuit, ut uix ulla Monarchia cum illa sit conferenda, neq; uero immerito. Nam præterquam quod militari disciplina Respub. Romana reliquas omnes facile uicit, etiam omnia uirtutum genera in ea exercebantur & colebantur, quæ uel una uia est ad

imperia & paranda, constituenda, & retinenda. Maxime uero & præcipue fides uiguit, Hanc optimus quisq; princeps & ciuis tam priuatim, quàm publice in omnibus negociorum contractibus neutiquam uiolandam, sed sanctissime habendam & præstandam omnibus modis censuit. Hinc rediit ad atrocissimos cruciatus Regulus, cum Romam à Pœnis missus esset, ut conditionem de commutandis captiuis latam senatui proponeret. Erat enim à Pœnis captus, & seruatus fuisset redditis captiuis Pœnorum, id quod ipse fortissime dissuadebat, ne scilicet conditionem acciperet senatus Romanus. Verum enimuero, ut fidem religiosissime semper coluerint Romani, & flagicium summum semper arbitrati sunt, fidem datam fallere, Ita & acerbissimas & atrocissimas pœnas in perfidos leges 12. tabularum statuerunt & horrifica exempla in fœderum ruptores facta sæpe legimus. Præclare constitutum fuit legibus 12. tabularum, ut si quis falsum testimonium dixisse conuictus esset, è Saxo Tarpeio deijceretur. Præclare item eædem leges ciues obæratos, quia non soluerant, nexos creditoribus faciebant, donec creditam summam opera compensarent. Sic & insigne documentum omnibus mortalibus datus est Metius Suffetius Albanorum rex, qui quoniam pactũ atq; condictum Tullo Romano regi non seruauerat, fœdissimo spectaculo perfidiæ pœnas dedit. Nam duabus admotis quadrigis corpus illis distentum alligatum est, Deinde equis in diuersum concitatis, distra-

ctum

ctum atq; laceratum est. Dignum putabant, ut is corpus suum paßim distrahendum daret, qui paulo ante animum ancipitem inter Fidenates, Romanosq; gesserat, nec iudicabat tum Tullus Rex, aut populus Romanus se indignum esse tam seueriter in perfidum regem animaduertere, ut qui tanta religione fidem semper & domi & foris etiam erga hostes sanctißime colendam & seruandam esse censuerant.

IIII.

LOCVS COMMVNIS DE OFFIcio Regis, quod est ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι.

Inter multas egregias uirtutes, quibus illorum animos præditos esse conuenit, qui imperant, nulla tam admirabilis tamq; necessaria est, quàm ut aliorum quoq; sanis amicorum consilijs obaudiant, neue animi sui libidini semper indulgeant. Est enim non minus admirabilis illa uirtus in Imperatoribus, quàm si illorum animi multis ad gerendas res magnas uirtutibus sint præditi, id quod sensit etiam Agesilaus optimus princeps, qui traditurus liberos suos Xenophonti docendos, interrogatus à Xenophonte, quid nam illos doceri uellet, respondisse fertur, ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι. Digna uox, quæ omnium principum aulis, omnibus foribus inscribatur. Nam quid præclarius est, & quid sanctius in Imperatore seu principe, quàm ut ipse sit optimus princeps, qui præuidere

poßit, quid ex usu sit Reipub. breuiter, qui teneat totam administrandarum Rerumpub. rationem, Deinde, ut & alios audiat, nihil temere uel per iram uel per incogitantiam admittat, cuius eum postea poeniteret. Has duas uere regias uirtutes expreßit etiam prudentißimus senex Nestor apud Homerum, lib. 9. Iliados, quando in concione Agamemnonem regem sui officij admonet satis magnifice prædicando maiestatem regiam, decere (inquiens) regem, ut ipse prior præ reliquis omnibus sententiam dicat, sed tamen & alijs debere relinquere locum bene uel melius consulturis. Versiculum, quia supra modum elegans est, subijcio,

τῶ, σε χρὴ περὶ μὲν φάσθαι ἔπος, ἠδ' ἐπακοῦσαι

Hoc est, Quapropter & ipsum
Te decet & multos audire, & dicere multa,
Cedere deinde locum uerba opportuna uolenti
Dicere & utilibus pensare negocia dictis &c.

V.

HISTORIA DE IMPERATORE Antonino Pio, est exemplum clementiæ.

Præclarum clementiæ exemplum esse poterit Imperator Antoninus Pius, contra quem cum multi ciues immerito coniurauissent, & iam dißeminata coniurationis fama inter multos fuisset, iussus est à patribus, ut coniurationis complices inquirerentur, utq; de illis supplicium sumeretur, ipse adeo mansuetus fuit, ut non tantum duriter in illos statuere noluerit,

sed & quæstionem compresserit, sic præfatus, sibi non uideri opus esse, pertinaciter inquiri illos, quos sciebat istius flagicij perpetrandi ac maturandi cupidos fuisse, ne si plures reperirentur, quantis odio esset, intelligeretur. Ferunt etiam eum solitum dicere, satius esse unũ ciuem seruare, quàm mille hostes perdere, id quod etiam re ipsa comprobauit. Nam cum ob inopiam rei frumentariæ populus Romanus falsa suspicione concepta lapides in illum stringerent, maluit potius exposita ratione placare & sedare multitudinis impetum, quàm ulcisci seditionem.

VI.

FABVLA DE CICADIS & Formicis.

Elegans fabula est de Cicadis & formicis, quæ hortatur iuuenes ad laborem, ut ætate utantur tum, cum licet. Neq; enim iuuat usq; νεανίζειν. Fabula autem sic habet. Cicadæ olim æstate integra cantibus perpetuis indulgebant. Formicæ autem Hyemis futuræ memores messem exercebant, in percipiendis, conuehendisq; frugibus operam ponebant, quæ uictum illis suppeditare possent, colligendi ex agris potestate sublata. Ineunte igitur Hyeme, Formicæ de collectis per æstatem frugibus alebantur. Cicadis uero aßidua illa canendi uoluptas fraudi fuit. Nam in extremum discrimen coniecti sunt, adeo ut fame omnes conficerentur. MORALE. Monere uoluerunt Græci prudentißimi uiri hac fabula, idem euenire solere adolescenti-

centibus, qui suauia in præsentia quæ sunt, prima habent quiq; omisso animo in longitudinem non consulunt, ad nullum studium animum adiungunt, quo uiaticum senectuti comparare poßint, ut postea egeant non aliter, atq; cicadæ, ut senibus periculum sit famis, atq; sint alijs pro ridiculo ac delectamento.

VII.

LOCVS COMMVNIS DE ebrietate.

Magnam perniciem esse ingeniorum ebrietatem, item multorum flagiciorum occasionem præbere apparet paßim in omnibus historijs. Ea uero, ut in pueris tanquam nocentißimam pestem optimi quiq; execrandam esse censuerunt. Hinc amplißime laudatus est mos Lacedæmoniorum, qui ebrios seruos aliquando in conspectum liberorum suorum conuiuia agitantes exhibere solebant, ut cum ineptijs & scurrilitate ac insulsis moribus turpiter se darent serui, essent adolescentibus exemplo, quo ab ebrietate deterrerentur, ut sic uel seruorum uitijs docti, ipsi in posterum tanq̃ præsentißimum malum, ebrietatem auersarentur. Dignum exemplum, quod sequantur quoq; nostri parentes, ut denuo retrahi poßint pueri ab immodica & immensa ingurgitatione, quæ simul & corporis uires debilitat, & meliorem ingenij spem atq; frugem in tenerioribus adhuc annis uelut in herba enecat &, quod extremum malum est, quæ multis & maximis uicijs alimenta quoq; præbere solet, quæ uitia per omnem

uitam

uitam postea nullo negocio uel elui uel corrigi poßint. Neq; enim dubium est, quin ea quoq; uitia, quæ pueri uel ex malis exemplis aliorum, uel ex domestica institutione corrupti contraximus, pertinacißime hæreant, senesq; prosequantur. Adeo natura sumus tenacißimi eorum, quæ rudibus annis percepimus. Non enim temere dixit Virgilius, multum esse in teneris cõsuescere.

VIII.

LOCVS COMMVNIS DE Voluptate.

Quod & de moribus & de uniuersa φυσιολογία præceperunt ubiq; in suis libris Philosophi & perscripserunt, hoc totum etiam Poetæ in suis Poematis sunt complexi, atq; ita apposite, ita uenuste, ut longe etiam Philosophos præstare uideantur penitus introspecti, utut utriq; utranq; Philosophiam uoluerint complecti. Agunt autem hoc diuerso modo Poetæ, diuerso Philosophi. Nam Poetæ nusquam ferè aut raro admodum de moribus præcipiunt eo modo, quo Philosophi præceperunt, sed plane tanquam aliud agentes totam Philosophiæ rationem in suis scriptis tanquam in pictura quadam depingere uoluerunt, quæ Philosophorum præcepta ita exprimit, ita ob oculos ponit & exhibet, atq; si fieri omnia uideas, idq; faciunt iucundo quodam & picturato (sicut habent cum Pictoribus multa communia) orationis genere, non ita rigido & aspero, quali uti Philosophi uoluerunt. Proinde si orationis genus utrinq; spectes, uidentur esse inter se & Poetæ & Philosophi quàm dißimillimi,

si

si rem & consilia consideres, omnino idem consilium, idem iudicium de omni officio et de tota natura utrisq; fuisse egregie persentisces. Libet uti exemplo, quo ista comprobentur.

Extant paßim in Philosophorum libris multa de uoluptate scripta, quàm sit pernitiosa, quàmq; in speciem blandiatur nobis (sicut & Plato uoluptates uocauit blandißimas dominas), ut nos ab honestate & à reliquis uirtutibus auocet, retrahatq;, & eam postea comitem mœrorem subsequi, malaq; innumera, quibus nos affligat, ac diuexet, & tanquam stulticiæ nostræ pœnas grauißimas reposcat. Poetæ idem uolentes docere inseruierunt suo foro, & egerunt hoc suo quodam modo, diuerso quidem à Philosophorum præceptis, sed tamen eodem respicientes, quo illi respexerunt.

Confinxerunt igitur Cupidinem puerum clanculum ex alueolo suffurari mella, atq; interim dum se oblectat puer, dum uoluptatem suam edendo melle egregie explet, tandem pungi ab apibus, atq; ita afflictum statim dolentem discedere. Quid aptius, melius, & elegantius ab optimis hominibus pingi potuisset de uoluptate, ut ea suis illecrebris nos sollicitet ac inescet, Vtq; nos uarijs modis titillet, ut nil nisi mel in ea appareat, sed sub hoc melle uenenum & dolores non paucos, nec modicos tandem subesse, nihilq; esse in ea constans & perpetuum, Tum nos fallere maxime, cum minime omnium falsuram esse confidebamus. Hoc totum

tum quidam ex doctißimis, elegantibus sané uersiculis perstrinxit,

Fixit apis puerum Veneris dum roscida mella
Furatur, sic sunt dulcia mixta malis.

Eum imitatus quidam ex discipulis sic lusit,

Dum puer alueolo furatur mella Cupido,
Furanti digitum cuspide fixit apis.
Sic etiam nobis breuis & peritura uoluptas,
Quam petimus, tristi mixta dolore nocet.

Huc referre licet totam illam quoq; fabulam, quæ est apud Hesiodum de Pandora, quæ in speciem bellißima apparet, utpote ita compta, ita exquisitißime exornata, ut ad consummatißimam formam nihil prorsus deesse uideretur. Nam quod quisq; Deorum habuit & pulcherrimum & optimum, id fingitur in eam contulisse, sed ea simul atq; excipitur ab imprudente & cupido Epimetheo, aperta pixide, quam in manu gestabat, omnia omnium malorum genera euolarunt. Hic scilicet finis est, hic exitus uoluptatis, cui (ut Plautus inquit) mœror comes nunquam non esse solet.

IX.

DE FABVLIS POETARVM.

Poetæ doctißimi uiri res grauißimas fabulosis quibusdam figmentis adumbrare in suis Poematis uoluerunt. Neq; enim uerba tantum, aut friuolas quasdam nugas secuti sunt, sed honestißimæ uitæ præcepta, optima exempla, quibus animi hominum ad uirtutem, & ad omnes res præclaras incitarentur, & à uitijs

absterrerentur, proposuerunt. Et quod Philosophi, ac legum publicarum conditores seueris praeceptis ac legibus, aspero orationis genere praeceperunt, id Poetae dulcedine quadam argumenti ut eò facilius ad studium & amorem sui pertrahere homines possent, perscripserunt ut illam asperitatem praeceptorum fabulis illis iucundis tanquam acerbum φάρμακον melle conditum & dulcoratum, degustandam & amplectendam proponerent. Nam qui nescit Poemata omnia, uel ad φυσιολογίαν, uel ad historiam rerum gestarum, uel ad mores pertinere, is infaelicißime in illorum lectione uersatur, operamq; male collocat. Est enim, ut Plutarchus inquit, τὸ γλυκὺ ποιημάτων οὐκ ἀφιλόσοφον. Neq; enim paruifaciendum est Horatij iudicium, qui pronuncians de Homero dicit eum in Poemate complexum esse uniuersam honesti rationem multo melius, quàm ullos Philosophos. Versiculi digni sunt, qui adscribantur,

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid nō,
Plenius ac melius Chrysippo & Chrantere dicit.

Et quod de Homero dicimus, idem de singulis dictum uoluimus. Si quid autem est praeterea in Poematis, quod uel ad mores, uel ad naturam, uel ad historiam referri non potest commode, id ornandi argumenti gratia & delectandi lectoris tanq̄ parergum quoddam in elgantißima pictura additum esse credamus, id quod idem Horatius alibi quoq; indicat, cum inquit,

Aut

Aut prodesse uolunt, aut delectare Poetæ,
Aut simul & iucunda & idonea dicere uitæ.

Neq; enim & historia, in qua hoc ex professo agitur, ut omnia quam uerißime describantur & uirtutes uel expressæ uel neglectæ proponantur, suis ornamentis caret, nedum illud Poetarum picturatum genus orationis, quod cum pictura non pauca habet communia. Proinde quia serijs rebus iucunda & ad delectationem comparata interseruerunt Poetæ, merito omne punctum tulerunt, sicut rursus Horatius inquit. Id uero ita esse, licet experiri in multis exemplis, Nos unum atq; alterum proponemus, in quibus uidebimus, quam sit pernitiosa & exitialis res hominibus summis etiam uiris, VOLVPTAS.

Confinxerunt Poetæ pulcherrimo sane & uenusto commento Herculem fortißimum principem sedere in Gynæceo tenentem colum & tractantem lanam, duraq;, ut ille dixit, trahentem mollia pensa manu, & nescio quibus alijs muliebribus officijs esse intentum & occupatum, itaq; captum amore Omphalæ reginæ, ut prorsus seruum se dedat illi, ornatuq; muliebri, depositis armis ac claua, induatur, sicq; tantum Heroa tam fortißimum bellatorem, qui tot immanibus monstris domitis, potentißimis etiam hostibus semper superior euaserat, mulierculæ per dedecus & turpitudinem obnoxium fieri. Iudicare fortaßis indoctus aliquis lector poßit, nullum eius

Fabula de Hercule Omphali seruiente.

eius rei usum esse, nec retulisse ista á Poetis scribi, & præter hoc nihil minus decuisse, quàm tanto principi tam mollicula, leuißimaq; studia tribuere. Sed magno consilio ista luserunt optimi uiri, ut scilicet indicarent nullum tantum robur, nullam tantam uim animi esse etiam in summis hominibus, quæ non poßit eneruari & dissolui uoluptatũ illecebris, nullum impetum tantum esse, qui non elanguescat, qui non domari & subigi poßit captus uoluptatum dulcedine, quæ in speciem uidetur. Nam iucunda, delectabilis, & grata uidetur uoluptas, cum tamen re ipsa nihil, nisi merũ fel subsit.

Interpretatio fabulae de Hercule

Nota sunt, quæ paßim scripta extant in omnibus Poetarum libris de Sirenibus & de Pandora apud Hesiodum. At præterquam quod uoluptatibus obscœnis homo prorsus ex homine tollitur, fit etiam, ut adeo demens, adeo uecors, adeo prorsus omnis humanitatis expers sit, ut nihil á bestijs differre uideatur, naturamq; penitus dediscat, id quod etiam indicare uoluit haud dubie Homerus bello isto figmento de Vlyßis socijs, qui inescati dulcedine cibi & poculorum Cyrces, neq; patriæ, neq; coniugis, neq; suauißimorum liberorum memores, turpißime deserto principe procul á patria persistere uoluerunt. Ideo fingit doctißimus Poeta immutatos fuisse incantationibus Cyrces in beluas, ursos, apros, canes, ut indicaret, quàm prorsus omnem humanitatem exuant illi, qui libidine & luxu diffluunt. Quid elegantius, quid aptius & melius confingi potuisset de uoluptate, quàm est á Poetis fabuloso

Interpretatio fabulae de mutatis socijs Vlyssis in beluas

isto

isto commento confictum? Quis Philosophus aptius & accommodatius de uoluptate disputare potuisset, quàm illi scripserunt? Neq; enim dubium est, quin hoc spectarint tum, cum ista scriberent.

Est & hoc satis Venustum, quod de iudicio Paridis ab ipsis confictum est, quem Paridem fingunt arbitrum & iudicem constitutum, qui de forma trium Dearum Palladis, Iunonis, & Veneris pronunciaret, decretamq; esse Veneri pulchritudinis palmam, spretis alijs duabus & amplißimis earum muneribus. Altera enim summam sapientiam, altera maximas opes & potentißima regna pollicebatur, Venus autem, quia formosißimam uxorem pollicita erat se daturam illi, pulcherrima est iudicata. Ista fabula quid aliud indicare uoluerunt, quàm natura nos ad uoluptatem rapi, præ illa, quantumuis pernitiosa sit, quantumuis & nobis & patriæ, parentibusq; exitij causa sit formosa illa Helena, tamen fastidiri optima alia bona & sapientiam, quibus nihil est in rebus humanis amplius ac magnificentius. Verum cur & quomodo id fiat, ut ita tanquam cæci ad uoluptates sectandas nos præcipitemus, non potuerunt ipsi peruidere, sicut nec remedium aduersus furiosißimos & concitatißimos affectus illos excogitare potuerunt. Vtut enim Vlysses obturatis auribus Syrenum uoces contemnat, tandem tamen per Cyrcem capitur & irretitur. Et Aeneas quantumuis alioqui fortis, tamen apud Didonem commoratur, oblitus fatalis patriæ, & fractus amore succubuisset,

Fabula de Paridis iudicio.

Interpretatio fabulae de iudicio Paridis.

nisi denuo numinis increpatione ad maturandam cæ=ptam in Italiam nauigationem, ab instituto fuisset re=tractus. Et certe numinis auxilio opus est, quo te in tantis malis conclusum expedias.

Eius rei nec Philosophi ullam rationem indica=re potuerunt, qui tamen fiat, cur homines, cum per ra=tionem uidere turpitudinem uitiorum, & de re recto iudicare poßint, tamen non sequantur id, quod rectum & honestum esse iudicant, Imò etiam ne legibus qui=dem ac horribilibus pœnis coherceri posse hominum libidinem, ne peccent. Eius autem causam indicant sa=cræ literæ, fieri hoc partim per peccatum originis, quod singulis per lapsum Adæ innatum est, partim per insidias Diaboli imbecillitatem nostram exagitantis ac uexantis, ut nos præcipites in peßima & horrenda quæuis uitia. Et sanè etiam respondent illi omnes om=nium consiliorum euentus, & succedunt omnes insi=diæ, quas nobis struit, Deo non custodiente & seruan=te nos. Ea enim est potentia Sathanæ, tantæ sunt insi=diæ, ut nulla tanta sit sapientia etiam in sanctis, quæ, si relinquatur à Deo, non incidat in uaria flagitia. Om=nino enim non temere dictum est, Circumit, sicut leo rugiens, quærens quem deuoret.

X.

PRAEFACIO ANTE DISPUTA=tionem habita VVitebergæ 1533.

Ego antea expertus hæc certamina sensi, quan=tum habeant difficultatum. Itaq; non prodij huc inge=

nij

nij aut doctrinæ fiducia. Quare uos oro, ne existimetis me oblitum meæ imbecillitatis imprudenter hanc prouinciam disputandi mihi depoposcisse. Ego uero officio adductus suscepi eam, cum arbitrarer mihi turpe esse authoritatem præceptorum detractare. Nam ut in exercitu milites oportet sine ulla exceptione ducibus parere, Ita conueniebat in hac nostra militia summa uoluntate ac studio præceptoribus obsequi. Vt enim in acie Reipub. interest, ne quis miles recuset imperata facere. Ita uelim existimetis, & in his studijs nostris Reipub. interesse, ut rite exerceamur. Non enim magis illa militia, quæ armis tuetur publicam tranquillitatem, ad Rempub. pertinet, quàm hæc nostra, quæ religione & iure societatem hominum inter se deuinctam retinet. Vulgus in his studijs existimat se priuatum agere negocium, & ad suam uoluptatem hæc studia, non ad utilitatem communem refert. Et existimat scholam ab ocio nomen habere, quia ibi nullis legibus, nullo imperio teneantur. Hac persuasione nihil est pernitiosius, quæ utinam radicitus ex animis euelli posset. Non minus enim periclitatur Resp. si literæ non rite discantur, quàm si in acie parum strenue res geratur. Schola habet uacationem omnium munerum, & nomen habet ab ocio, quod ne quem decipiat, prudenter interpretandū est, ut in castris milites omnibus occupationibus domesticis omißis uni rei perpetuo uacant. (Semper enim expectādus est hostis, semp obseruandus ne opprimat imparatos), Ita in his scholis ociū habetis

Elegans comparatio ocij scholastici cum vita militari.

 à dome-

domeſticis negocijs, ut religionem, & omnes diſciplinas utiles Reipub. diſcatis, quas olim ex umbra in ſolem ac puluerem proferretis. Sed quid agitis? Tocies iam imperant noſtri Duces, ut diſputemus, hic quantus quiſq; obtemperat, quotusquiſq; meminit officij ſui, quotusquiſq; expendit, quid præceptoribus, quid Reipub. debeat? finge caſtra, in quibus milites omnia ſuo arbitrio faciant, non ducum. Hic dices corruptam eſſe disciplinam caſtrenſem, Talis planè nunc eſt hæc ſcholaſticæ diſciplinæ perturbatio, quæ haud dubie magnã perniciem afferet aliquando Reipub.

Non eſt ludus, ſed tumultus, ubi nihil ad arbitrium præceptorum diſcipuli faciunt. Latini enim Scholas ludos uocarunt. At uidetis, quàm diligenter in ludis unusquiſq; ſuæ perſone decorum obſeruare ſtudeat. Tota res perturbatur, ſi una perſona non obeat ſuum officium, non peragat ſuas partes. Vnus choragus gubernat totum Theatrum. Hunc obſeruant omnes perſonæ, in hunc habent defixos oculos atq; mentem, ne quid contra præſcriptum faciant. Talis ludus etiam Schola eſſe debebat. Sed hæc diu iam fruſtra uobis decantant præceptores. Verum erratis optimi cõmilitones, ſi putatis uobis licere ueſtro more potius, quàm ad illorum præſcriptum uiuere, Deus in hoc uitæ genere Reipub. cauſa, imò in his caſtris nos collocauit. Huic profecto dabitis pænas contempti imperij. Duces, qui arma tenent, capitale ſupplicium ſumunt de his, qui diſceſſerunt ex præſidio, nihilo minus puniet

niet Deus, si quis hæc præsidia literaria deseruerit, aut perturbauerit: Nam illum existimare debetis Imperatorem esse, qui & præmia reddet pro studijs, & pœnas in ignauos constituet ac improbos. Scitis Deum esse uindicem aliorum publicorum scelerum, latrocinij, furti, & similium. Nam magistratus in tanta malicia hominum non posset cohercere tantam malorum multitudinem, nisi diuinitus adiutus. Sic existimate & istos Deo pœnas daturos esse, qui nullis præceptorum monitis obtemperant. Nullum latrocinium, nulla furta sic nocent Reipub. ut literarum interitus. Ideo Paulus hortatur Timotheum, ut depositum bona fide custodiat, Idem ad uos pertinere sentiatis, debere uos hæc studia religionis & aliarum bonarum artium summo studio retinere, ac præstare: ut ad posteros transmittantur atq; propagentur. DIXI.

Interitus liter. nocet Reipub.

XI.

GRACIARVM ACTIO VITEBERgæ habita 1533. in promotione Doctoris Medicinæ.

Cum mihi in hoc ornatißimo consessu doctißimorum hominum dicere difficillimum sit, gaudeo mihi potißimum eas partes datas esse, in quibus magis officium, quàm eloquentia requiritur, præsertim cum semper optauerim occasionem mihi aliquam contingere declarandæ meæ gratitudinis erga præceptores nostros optime de nobis meritos. Quanquam autem hæc gratiarum actio in præsentia nihil, nisi commemora-

tionem quandam habet officij nostri, tamen ideo plurimum debet habere ponderis, quod religione quadam, ut ego quidem interpretor, nos obligamus in his auspicijs nostri honoris ad perpetuam erga praeceptores gratitudinem, de qua ita nobis praecipit Hippocrates, optimus non solum Medicae artis, sed etiam humanitatis atq; officij magister, ut iurare coegerit studiosos, inter caetera, ut doctores suos non secus ac parentes colerent, & cum eis fortunas omnes suas, si ita res postularet, communicarent. Et quidem addit grauissimam comminationem, Ita eos in omni uita atq; exercenda arte felices fore, si pietatem debitam praeceptoribus praestarent. Quare gaudeo mihi oblatam esse occasionem declarandae meae uoluntatis erga praeceptores nostros, maxime in hoc loco, ubi plurimum habet haec oratio authoritatis. Ego enim cum sciam homines maiora beneficia nulla hominibus tribuere posse, quàm doctrinae communicationem, sentio nemini plus quenquam debere, quàm discipulos doctoribus. Cum autem haec nostra ars uarietate rerum atq; obscuritate ita uincat caeteras, ut aliae ab hominibus repertae, haec à superis primum monstrata esse uere dicatur, multo flagitiosius fuerit nos ingratos esse, quàm caeteros in alijs professionibus. Ac primum quidem Deo Optimo Maximo gratias habemus toto pectore, eum precamur, ut nostra studia, nostraq; consilia, atq; operam in exercenda arte gubernet, ad salutem hominum, cum ipse & uitae author sit, & medicinae monstrator. Deinde agimus

mus gratias Illustrißimo principi Duci Saxoniæ Iohanni Friderico Electori, qui singulari beneficentia hanc scholam ad Reipub. utilitatem tuetur. Agimus etiã gratias Illustrißi. principi Duci Saxoniæ Iohanni Ernesto, qui, quod est dignum principe, ut ornaret studia literarum, interesse huic Pompæ dignatus est. Agimus gratias & Magnifico D. Rectori, & nobilibus uiris D. Iohanni Mesth præsidi Ducatus Saxoniæ & Christophoro Gros, qui cũ cæteris egregijs uirtutibus præditi sunt, tum uero hoc nomine á nobis colendi sunt, quod studia bonarum artium & amant & benigne tuentur. Deinde agimus gratias clarißimis uiris omniũ facultatum Doctoribus, præcipue uero Medicinæ Doctoribus, nostris D. Augustino Schupff præceptoribus, quos predicamus de nobis optime meritos esse, & confirmamus, nos per omnem uitam eis gratiam habituros esse, quantum maximam animis concipere possumus, relaturos etiã omni officij genere, ubicũq; erit occasio, nosq; eis tanq̃ parentibus commendamus. Postremo agimus gratias uenerabilibus uiris Magistris & scholasticis, qui sua frequentia hanc Pompam celebriorem reddiderunt. XII.

GRACIARVM ACTIO VVITTENbergæ habita in Promotione Doctoris Iuris, 1533.

Etsi sentio me ab ea dicendi facultate quám longißime abesse, qua in præsentia gratias agere poßim ijs uiris, quorũ benignitate ac fauore, cum antea sæpe, tum uero hoc præcipue die usus sum maxime, Tamen cum

nostra hæc Iurisprudentia Iusticiæ tutelam maxime profiteatur, & gratitudo uel præcipua Iusticiæ pars sit, hoc inprimis decere istam personam uidetur, quàm sustinemus, ut & gratitudinem tueamur in alijs, & ipsi quoq; pro nostra uirili eam studeamus præstare. Qualicunq; igitur infantia mea animum gratum & agnoscentem illa summa ac immortalia beneficia uestra, decreui in præsentia declarare, ut me cum iam aliter non possim, saltem ista uoce, quæ testis est uestræ in me beneuolentiæ, ab ingratitudine uindicem. Primum igitur gratias habeo, atq; ago, quàm possum maximas Deo Opt. Max. qui nobis hanc uitam & infinita gratiæ suæ munera largitur, & qui, ut Demosthenes testatur, istas nostras leges pacis ac publicæ tranquillitatis instrumenta, & propugnacula primus adinuenit, hominibusq; sapientibus donauit, à quibus nos deinde eas tanquam per manus accepimus, & precor, ut ille tranquillitatem hanc & pacem publicam ad ista studia colenda, ac dona sua tam præclara retinenda & ueneranda uelit conseruare, atq; ut mea studia & totum uitæ cursum ad suum honorem, meamq;, & Reipub. salutem prouehere uelit ac gubernare.

Deinde gratias ago quoq; immortales Illustrissimo & clementissimo principi nostro ac Domino D. Iohanni Friderico Duci Saxoniæ Electori, cuius prudentia, publica pax, quæ cum omnium honestarum artium, tum uero inprimis Iuris ac legum alumna est, conseruatur, & cuius sumptibus ac liberalitate hæc

schola

ſchola, atq; hic Doctißimorum uirorum tam celebris conuentus ad communem Chriſtiani orbis utilitatem fouetur ac ſuſtentatur. Deinde etiam gratias ago, & habeo maximas eius clementiæ fratri Illuſtrißimo & clementißimo principi noſtro ac Domino D. Iohanni Erneſto Duci Saxoniæ, cuius beneuolentia & ſtudium erga liberales diſciplinas & noſtrum ordinem uel hinc perſpici poteſt, quod ipſe noſtri honoris cauſa huic Pompæ intereſſe non eſt dedignatus. Poſtea gratias agimus Magnifico Domino Rectori, clarißimis & fortißimis equeſtris ordinis uiris Chriſtophoro Gros & Iohanni Metſch aulæ, urbisq; Præfectis, Reuerendoq; Domino ac patri noſtro Doctori Martino, Dominis præceptoribus noſtris, & ſeorſim Domino Promotori D. Hieronymo Schurpff, præceptori noſtro, ac patrono obſeruando, cuius in nos beneficia multo ſunt ampliora, quàm ut ulla oratione à nobis pro dignitate poßint commemorari. Cum enim Alexander Magnus mutum magiſtrum Homerum tanti fecerit, ut nunquam dormiret, quin eum ſub capite poſitum tanq̃ theſaurum haberet, facile apparet, quantum nos illi uiuæ præceptorum noſtrorum uoci debeamus. Deinde etiam gratias ago maximas cæteris clarißimis ac doctißimis uiris Dominis Doctoribus, Magiſtris, & cuiuscunq; dignitatis ac ordinis uiris optimis & integerrimis, Totiq; adeo ſtudioſorum gregi, qui ſua præſentia noſtram hanc Pompam ac ceremoniam celebriorem reddiderunt, Quibus ego quocunq; uicißim offi=

cij genere gratificari potero, polliceor me summa & uoluntate & studio semper fore paratißimum. Dixi.

XIII.

LOCVS ELEGANS EX PRIMA *Quæstione conuiuali Plutarchi explicans fabulam de Vulpe & Grue alter alterum conuiuio excipientibus.*

Refert autem aliò, quàm retulerit eam, qui supra illam ipsam fabulam uertit, inscripsitq; eam de Vulpecula & Ciconia. Adcommodat autem ad Philosophos Plutarchus, qui in conuiuijs quoscunq; inter homines de rebus aut difficillimis, aut non necessarijs argutißime disputant, nulla habita uel loci uel personarum ratione. Et ad imperitos ècontra, qui nihil in conuiuijs ueriti, nugis ineptißimis omnia perturbant, ut omnis conuiuij gratia pereat, cum sic proferantur utrinq; ἄπρος διόνυσα. Vult enim Plutarchus κοινὸν τὸμ οἶνον εἶναι καὶ τὸμ λόγομ subijcio uerba Plutarhi,

Δεῖ γὰρ ὥς τὸμ οἶνον κοινὸν, εἶναι καὶ τὸν λόγον, οὗ μεθέξουσιν. οἱ δὲ τοιαῦτα προβλήματα καθιέντες, οὐδὲν ἂν τῆς Αἰσωπείου, γεράνου, καὶ ἀλώπεκος ἐπιδεκέστεροι πρὸς κοινωνίαν φανεῖεν. ὧν ἡ μὲν ἔτνος τι λιπαρὸν κατὰ λίθου πλατείας καταχεαμένη, ἐδέξατο τὴν γέρανον γέλωτα πασχοῦσαν. ἐξέφευγε γὰρ ὑγρότητι τὸ ἔτνος τὴν λεπτότητα τοῦ στόματος αὐτῆς. ἐν μικρῷ τοίνυν ἡ γέρανος αὐτῇ καταγγείλασα δεῖπνον, ἐν λαγυ-

λαγυνίδι προὔθηκε λεπτὸν ἐχούσῃ καὶ μακρὸν τράχηλον, ὥστε αὐτὴν μὲν καθιέναι τὸ στόμα ῥᾳδίως καὶ ἀπολαύειν· τὴν δὲ ἀλώπεκα μὴ δυναμένην κομίζεσθαι σύμβολας πρεπούσας. ἐπιμύθιον. οὕτω τοίνυν ὅταν οἱ φιλόσοφοι παρὰ πότον εἰς λεπτὰ, καὶ διαλεκτικὰ προβλήματα καταδῦντες ἐνοχλῶσι, τοῖς πολλοῖς ἕπεσθαι μὴ δυναμένοις. ἐκεῖνοι δὲ πάλιν, ἐπῳδάς τινας καὶ διηγήματα φλυαρώδη, καὶ λόγους βαναύσους καὶ ἀγοραίους ἐμβάλωσιν ἑαυτοῖς, οἴχεται τῆς συμποτικῆς κοινωνίας τὸ τέλος καὶ καθύβρισται ὁ διόνυσος.

Sententiam utcunq; uersam subijcio.

Vt enim commune iuxta omnibus in conuiuio Vinum est, ita etiam communia omnibus colloquia esse oportet, quae intercedant, ut conuiuio homines capiantur. Qui uero talia problemata (non omnino scilicet familiariter nota) in medium adferunt, Aesopica grue & Vulpe nihilo ad conuersationem commodiores esse uideri queant, Quarum uulpes Pulte quadam liquida in lapidem latum diffusa, hospicio excepit gruem, quam eluderet diffluebat enim prae liquiditate puls ex rostro gruis exili, Neq; ita multo post eandem uulpem ad caenam uocat grus, obsonium in lagena arcti, longiq; gutturis proponit, ut ipsa rostrũ facile inserere possit,

Sermones conuiuales cuiusmodi esse debeat

posset, atq; ita uesceretur obsonio, Vulpeculæ uero uidere quidem epulas licuit, gustare non item. Abijt igitur famelica. Accommodatio fabulæ. Non aliud uidentur mihi agere Philosophi illi, qui argutißimas & Dialecticas quæstiones proponentes multis stuporem inijciunt, qui argutias ipsorum assequi non possunt. Econtra iuxta peccare etiam alij uidentur, qui nulla conuiuij habita ratione ipsi sub præstigijs quibusdam & ineptis nugis molesti sunt, ut omnis conuiuij gratia pereat, & iniuria fiat Baccho, cum sic utrinq; prosferantur ἄπρος διόνυσα.

XIIII.

PRAEFACIO IN LECTIONEM statutorum Academiæ VVittebergensis á Magnifico Domino Rectore Iacobo Milichio habita Die 20. Augusti Anno Domini 1536,

ANTE LECTIONEM Statutorum.

P. M. Quotannis solent publice recitari leges Academiæ nostræ, ut hij, qui eas antea non audierunt, discant, quibus legibus in hac nostra repub. uiuere debeant. Nulli enim cætus hominum sine legibus congregari, teneri, aut gubernari possunt. Quare & ego pro officio uos modo ad audienda statuta conuocaui, uosq; adhortor non solum, ut audiatis Publicas leges, sed etiam, ut eis obtemperare summa cura & diligentia studeatis. Qua in re hoc primum considerabitis, leges in

Imperijs & rebuspub. non humana authoritate existere, sed esse uere Dei uocem sonantem in ciuitatibus & continentem, ac gubernantem hominum cœtus. Quare cum Deo debeamus obedientiam, profecto oportet nos etiam legibus ab ipso traditis obtemperare. Huius officij quanta uis sit, quanta dignitas, maxime nos intelligere decet, qui ideo in literis uersamur, ut uirtutum fontes & causas inquiramus, & ad illam normam, mores & uitam dirigamus. Nam adolescentia natura ægre patitur legum uincula, licentiam cupiditatibus suis permitti cupit, & quorundam tanta est ferocitas, ut contemptum disciplinæ & legum, fortitudinem quandam esse putent. Sed hæc Cyclopica uita indignißima est scholasticis. Nos enim eruditi optima doctrina intelligere debemus Dei uoluntatem esse, ut omnes homines certo iure regantur, ut adolescentia coherceatur & alieno iudicio gubernetur, ut frenum cupiditatibus inijciatur.

Ad hæc persuasißimum nobis esse debet, has ipsas leges & hæc uincula honestorum officiorum non solum tradita esse diuinitus hominibus, sed etiam ope Dei in ciuitatibus conseruari & retineri, ac diuinitus ad pœnas retrahi omnes, qui authoritatem legum, ac magistratuum contemnunt. Quam multos uidimus his proximis annis hæsisse in pœnis, qui se effugisse antea arbitrati sunt, qui septi exercitibus uim humanam nullam pertimescebant. Sed Deus est custos ciuilis disciplinæ, is ad pœnam retrahit sontes, huius numen ue-

reri

ueri & metuere debemus. Etsi autem natura est amans libertatis, tamē nos, qui in optima doctrina uersamur, intelligamus libertatem non esse scelerum licentiam, sed Iuris æquabilitatem. Ita amemus libertatem, ut meminerimus eam astrictam esse diuinitus certis uinculis. Hæc propter Dei uoluntatem amemus, & libenter patiamur. Tyrannis est sumere sibi libertatem non concessam legibus, furor est, non fortitudo, disciplinam & publica iura contemnere. Est enim contemptus Dei.

Cum has causas obedientiæ, cum authoritatem legum, cum Dei præsentiam in Imperijs considerabitis, intelligetis, quàm non deceat nos illa Cyclopicæ libertatis cupiditas, ac statuetis pietatem esse honorifice, ac reuerenter sentire de legibus, easq; amare, tanquam cæleste donum, in quo Deus lucere suam sapientiam uoluit, eisq; libenter, et magno studio parere. Atq; hæc ipsa de dignitate legum, de Imperiorum ordinationibus quotidie auditis in scholis. Quare non existimaui mihi iam longiore oratione opus esse. Vt enim illæ pulcherrimæ uices temporum, & cursus syderum, ortus, occasus, congressus errantium stellarum & discessus, maximarum utilitatum causa diuinitus ordinatæ sunt, Ita scitote & Politicos mores magnarum utilitatum causa diuinitus ordinatos esse, uidelicet, quod certo iure connubia iunguntur, quod educatur & instituitur soboles, quod coluntur religiones, quod iudicia exercentur, ut argumentis & oratione discepte-

tur,

tur, possessiones discernantur, prohibeantur iniuriæ, ut poenæ constituantur in improbos, quod in scholis artes utiles uitæ propagantur, ac ueluti mira pulchritudo est in illo ordine motuum cœlestium, Ita in hoc ordine Politico, si recte considerabitis, mirificam pulchritudinem esse animaduertetis. Nec uero ulla harmonia est suauior ac uitæ utilior. Quare hunc ordinem & hanc harmoniam conturbare immanitas quædam est indignissima homine.

Hæc eò sum præfatus, ut commonefacerem uos, ut quemadmodum decet homines literatos, huius officij causam, quare leges amandæ & colendæ sint, diligenter consideretis. Deinde hoc scitote primam esse uirtutem, assuefieri ad disciplinam, & ad obedientiam. Hæc obedientia non eò tantum prodest, quia confirmata ferocia ætate, postea nullas patitur leges, sed ideo etiam necessaria est, Quia nullus in his honestorum officiorum intellectus esse potest, qui non sunt assuefacti. Doctrina per se non satis ualet ad formandos animos, sed necesse est accedere disciplinam & hanc assuefactionem, sicut & Aristoteles inquit, ut terra non fouet accepta semina, nisi sit subacta & mollita aratione, Ita ad doctrinã percipiendam opus est ab adolescentia animos assuefieri & molliri, ut amare honesta, & fugere turpitudinẽ discant. Itaq; iure deplorant omnes boni uiri hoc tempore nimis laxatam esse disciplinam. Sed cum querelæ nõ multũ proficiant,

illud est reliquum uobis, ut bona ingenia, quantum poßimus, nostris cohortationibus iterum in uiam reuocemus & inuitemus, ut moderari impetus animi, & hæc communia officia ciuilis consuetudinis colere discant. Et quantum animaduertere possum, in mediocribus naturis hæ cohortationes aliquid profecerunt.

Quare nunc etiam uos adhortor, ut ad obtemperandum & ad disciplinam uos assuefaciatis. Aristoteles ait, summam esse Tyrannidem immoderatam uulgi licentiam, & profecto quid aliud sunt, quàm Tyranni isti, qui nullos gubernatores, nullas leges pati, nullo iure teneri uolunt, qui suis cupiditatibus omnia concedi postulant. Est autem inimicißima generi humano Tyrannis, Quare & licentiam illam existimate inimicam esse societati humanæ. Cyrus apud Xenophontem narrat, se puerum plagas accepisse, propterea quod cum iudex esset gregis puerorum more Persico, sententiam tulisset iniquam. Cum enim duo essent pueri, quorum alter grandiusculus & procerior breuem habebat tunicam, alter uiribus & statura minor, qui habebat longiorem tunicam, maior longiorem tunicam sodali minori eripit, is cum affectus iniuria esset, defert rem ad Cyrum iudicem. Cyrus cognita causa pronunciat æquum esse, ut longiorem tunicam habeat procerior: Postea cum prouocaretur ad senem, qui præerat pueris, damnata Cyri sententia suum cuiq; redditur, & senex Cyrum uirgis cædi iubet, Cumq; Cyrus disputaret, sibi æquum esse uisum, ut longior

habeeret

haberet longiorem uestem, respondit senex, Iusta esse non, quae nobis uiderentur aequa, sed quae legibus constituta sunt. Hac narratione significat nos legum arbitrio, non nostro uiuere debere, atq; ea demum honesta & praeclara esse, quae legibus probantur, non quae priuatis, uel cupiditatibus uel iudicijs geruntur. Ideo in omni uita uobis proponite leges, tanquam duces, & gubernatrices omnium consiliorum atq; actionum, eaq; in re uos Deo gratum facere scitote. Hanc obedientiam Deus multis magnis praemijs ornabit. Econtrà dubitare non debetis, quin contumaciam grauibus poenis puniturus sit. Sic enim inquit scriptura, Calamitas & confusio accidet his, qui nolunt pati disciplinam, & qui obtemperat correctioni, honore afficietur.

POST LECTIONEM STATVTORVM.

Non addam longiorem Declamationem. Nullius enim ratio plus authoritatis habere debet, quàm ipsa uox legis, quam scitis, ut antea dixi, ipsißimam Dei uocem esse sonantem in Imperijs ac gubernantem hominū caetus, sicut ait sapientia Dei, per me reges regnant, & iudices iustas leges ferunt. Et quàm necessarium officium sit, uereri leges, & eis obtemperare, iam dictum est. Illud autem ut adijciam, magnae & graues causae sunt. Crebrae dicuntur esse nocturnae in plateis discursationes & uociferationes, interdum etiam aliqui ex nostris gerunt arma. Audiuistis autem edictum grauißimum & optimo consilio propositum à

laudatißimo Principe Duce Friderico, quo et nocturnæ illæ discursationes & arma prohibentur. Quare authoritate magistratus, quem gero, mando, ut huic edicto obtemperatis, quod ad communem urbis tranquillitatem & defensionem uestram maxime necessarium est. Quantum enim periculi esset, si irritati aliquando, quod Deus prohibeat, paucorum culpa, ciues arma caperent? Primum igitur in hac re & communis & uestri periculi rationem habete. Deinde etiam cogitate ægrotis has uociferationes admodum molestas esse, Interdum etiam perterrefieri grauidas mulieres his Vlulatibus, cogitate etiam, quantum hij mores, & hæc exempla graues & honestos uiros offendant, quorum iudicia contemnere plus quam barbaries est. Postremo mementote uos in schola uiuere, & cogitate, quantum reuera dignitatis habeat uita scholastica, & quanta uicißim moderatio in omni officio requiratur. In nullis castris tanta licentia militibus conceditur, quantum nunc in omnibus rebus sibi sumunt scholastici, atq; in scholis decuit esse sanctißimam disciplinam. Quæso enim considerate uitæ genus. Quanq̃ enim alij ordines hominum in speciem titulos habent splendidiores, tamen reuera magnitudine profeßionis antecellit uita scholastica omnibus ordinibus. Non plus dignitatis est, si res æstimentur, non tituli, in regnum, Principum, Pontificum, Episcoporum functionibus, quam in scholastica. Nos enim ueritatis et Iusticiæ inquisitionem profitemur, quibus bonis nihil diuinius habet humanum genus & harum rerum ope regitur,

& cõtinetur uita uerius, quàm armis, aut ullis alijs munimentis. Et harũ tantarum rerum studiũ & explicationem flagitat à nobis Respu. Et quidem in hac schola praecipue floret doctrina religionis & aliarum artium, quae uos ad uirtuem hortantur.

Cum igitur in tam sublimi gradu collocati simus, in quo studia ueritatis, iusticiae, & caeterarum uirtutũ uigere debent, cogitate quaeso, quàm indignum sit hoc ordine, uelut furiosos omnia disciplinae repagula perrumpere, nullas moderari cupiditates, certare Antonianis helluationibus, grassari latronũ more in locis publicis. Haec si facerent aliqui destinati uitae monasticae, aut sacerdotes nonnè omnes clamitarẽt indignissima esse illis professionibus. Nunc à uobis haec fiunt, qui multo augustiori uitae generi consecrati estis, uidelicet, ꝓfessioni ueritatis & Iusticiae, An nõ respicitis uos? An nõ uenit in mentem aliquando, quo in gradu uos Resp. collocauerit? Quae officia Deus in hac uocatione à uobis requirat? Quantũ scelus sit, uos istis scandalis infamare honesta studia. Nam, ut sciatis, honestissimi homines aliquot ciuitatum nobis questi sunt, remitti donum scholasticos talibus assuefactos moribus, ut nemo eos ferre posit, & literae ipsae in odium ueniunt. Nec uero dubitandum est, quin tales propter haec scandala Deo poenas daturi sint.

Multa nunciata sunt his annis Prodigia, conspecti intra triennium tres Cometae, Concussae Alpes terrae motu, quassatae terrae motu & ripae Rheni.

Omitto alia multa. Hæc Prodigia existimantur magnas calamitates & mutationes Reipub. portendere, sed certißimum præsagium est impendentium calamitatum, hæc horribilis dißipatio disciplinæ. Omnium enim ætatum historiæ testantur soluta disciplina, & palam confirmata licentia statim secuta esse excidia ciuitatum & imperiorum interitus. Vt quemadmodum tempestates certo uenturas denunciant nubes, Ita disciplinæ perturbatio, & contemptus certo significăt, impendere Rebuspub. ingentes calamitates. Nemesis enim castigat petulantiam, & Deus his pœnis domitos homines reuocat ad moderationem, ut disciplina restituatur. Quare uos adhortor adolescentes, ut sitis modestiores, ne irritetis Deum, ut publicis calamitatibus puniat hanc effrenem contumaciam.

Prohibeo itaq; authoritate magistratus, quem gero, & de sententia Academiæ, nocturnas uociferationes & tumultus. Prohibeo item geri arma, & siqui hoc edictum contemnent, illos cum Academia seuere puniet, tum etiam, si opus erit, cohercebit eos Illustrissimus princeps. Postremo monendos uos duxi de uestitu, in quo quotidie excogitantur nouæ ineptiæ, quod significat magis, magisq; crescere leuitatem animorũ. Pontanus in Dialogo quodam interrogat alium, quid sentiat de Rege Gallico Carolo gibboso, qui tunc occuparet Neapolin, an iudicet eum esse sapientem. Ille respondens inquit, quomodo esset sapiens, cum tam curta ueste utatur. Quo consilio hoc á Pontano di-

ctum

ctum est? Etsi uestis non affert sapientiam, tamen affectatio indecori uestitus significat stulticiam & leuitatem, offendit honestos & graues uiros hic histrionum habitus, & horum iudicia decet uos uereri. Praeclare inquit Seneca in Tragaedia, Leuis est, nec illum stimulat gloriae decus. Monet enim uere leuitatem esse, non uereri prudentum & honestorum iudicia, non habere rationem existimationis. Quid? quod hae ineptiae magna uitia alunt. Sed desino. Tantum enim uolui uos monere. Hortor autem, ut in omnibus uitae partibus officium uestrum diligenter faciatis, & modesti sitis & scholas cogitetis non tantum doctrinae, sed etiam uirtutis officinas esse debere, cumq; in gradu uitae summo & laudatißimo collocati sitis, praestate & in studijs & in componendis moribus diligentiam dignam illo honestißimo uitae genere, ut olim ad Rempub. afferatis & doctrinam utilem uitae, & mores probatos, & ut uestra eruditio, & moderatio in moribus ornet gloriam Dei. Sapientia Dei in scriptura inquit, Ludo in orbe terrae & deliciae meae sunt uersari cum hominibus. Quam suauiter hic Deus testatur se nobis impertire suam sapientiam, & quidem uoluptati ei esse, ut nobiscum uersetur, ut nobis suum munus impertiat, Idq; extat in scholis, Hij caetus sunt, quos uocat suas delicias. Quare gratulemur nobis hanc Dei familiaritatem, nosq; ita comparemus, ut nobiscum libenter uersetur, & studia nostra ad utilitatem communem prouehat. DIXI.

XV.

INTIMATIO P. M. DE ETHICIS Aristotelis prælegendis.

Sicut hactenus tradidi Epitomen Philosophiæ Moralis die Mercurij, quod ea pars doctrinæ humanioris cum ad formandum iudicium de moribus pernecessaria sit, tum ad alias professiones utilis præparet studiosos, ita cum propemodum eam absoluerimus, nunc retexere institui, hodieq; de integro ordiar. Ac spero me pleraq; tractaturum accuratius, quàm antea. Sunt enim δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι. Hoc duxi studiosis significandum esse. Quanta autem sit utilitas harum disputationum, non ignorant hij, qui liberaliter educati et instituti sunt. Nec inquisissent ista summi uiri tanta diligentia, nisi indicassent ea ad iudicium formandum prodesse. Etsi est iucunda gemmæ alicuius cognitio, quæ sunt in nobis ipsis, atq; in animis nostris pulcherrimæ, atq; optimæ uidelicet, uirtutum causæ ac fontes.

XVI.

INTIMATIO P. M. DE HOMERO prælegendo, 1 5 3 1.

Decreui aliquot libros Homeri interprætari Deo uolente, In eam rem collocabo deinceps horam sextam die Mercurij, & prælego, ut soleo, gratis. Quód autem dicunt Homerum mendicasse uiuum, id accidit ei etiam mortuo. Oberrat enim optimus Poeta

ta & rogat, qui se audire uelint. Pecuniam polliceri non potest, sed pollicetur magnarum & honestarum rerum doctrinam. Rogat autem non illos βαναύσους qui quæstuosas artes sectantur, non solum nulla instructi liberali doctrina, sed etiam ex hac una re sapientiæ famam captantes, quod magnifice ausint contemnere alias omnes honestas disciplinas. Quod si casu in horum aliquem inciderit Homerus (, Est enim cæcus,) orat se ciuiliter dimitti, sicut à Platone ex ciuitate demittitur. Verum hos ad se uocat audiendum, qui colunt studia liberaliter & uirtutis amore. Ego memini quondam non potuisse talium scriptorum copiam fieri studiosis, quamlibet magna mercede proposita, nunc tantus est contemptus optimarum rerum, ut nisi gratis offerantur, & quidem prælegantur à peritis, mendicare Homerus auditores cogatur. Incipiam autem proxime à nono libro Iliados.

XVII.

INTIMATIO P. M. DE EPISTOla D. Pauli ad Romanos prælegenda, 1 5 3 6. ad 14. Septemb.

In secessu Ienensi aliquot capita Epistolæ ad Romanos pro mea mediocritate tractaui. Postea cum huc redijssem, quia schola nondum conuenerat, duxi aliquantisper differendam esse reliquorum capitũ enar-

rationem. Quare interim prælegi Colosenses, & quidem locum de Iustificatione integre tractaui, & quantum potui sine Sophistica. Nunc redire ad epistolam ad Romanos scriptam constitui: Et ut hij, qui priora capita non audierunt, tamen seriem disputationis intelligant, breuiter repetam superiora & iterum ab initio exordiar. Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, inquit Euripides. Ideo repetitiones sunt utilissimæ. Ac uidetis in quibusdam horridioribus materijs, quàm multa mollierint et explicauerint repetitiones nostræ, & crebræ agitationes. Me quidem non pœnitet easdem materias sæpe retexere. Et hunc morem in studijs plurimum prodesse scitote. Deo dante cras hora 8. incipiam prælegere epistolam ad Romanos. Vitebergæ.

XVIII.

RECTOR ACADEMIAE VVittenbergensis Lectori S. P.

Sex menses nunc ferè præterierunt, cum in Arce magna cum grauitate iussu Illustrissimi principis nostri sunt recitatæ uniuersæ multitudini scholasticæ aliquot leges, partim nouæ, partim ueteres reuocatæ & confirmatæ, omnes procul dubio honestissimæ ac Reipub. imprimis utiles. Inter has est etiam, quæ de uestitu nostrorum præcipit, maxime necessaria, præsertim hoc tempore, quo discessum est à ueteribus moribus Germanorum quàm longissime in hac parte frugalitatis

tatis. Quia uero plæriq; sine magno incommodo non potuerunt statim uestes mutare, concessum est hoc semestre liberum, & hæ feriæ statutæ sunt eius tempois terminus, ut posthac nemini permitteretur uti alio uestitus genere, quàm quod uisum est literatos homines pro suo quenq; ordine decere. Sed ascribamus ipsam legem, Singulariter autem cupimus, ut quàm primum prohibeatis, quemadmodum & nos, ut princeps, pro nostra parte præceptũ uolumus, ne posthac quisq̃ scholasticus Academiæ VVitebergensis, non solum plebei, sed etiam equestris ordinis uestes breuiores, quàm quæ minimum genua tegant, nec tibialia, quæ aut obducta quouis Panno, aut subducta serico foris sint discissa, nec aureas catenas, nec gladios cuiuscunq; generis, qui à nobis alioqui sunt uetiti, uaginis uel bona parte, uel in uniuersum deargentatis inclusos gestent, Præterea uestium oras holoserico, aut ullo serico ne ornanto, multo minus interulas, aut thoraces ex illis fieri sibi curanto. Qui tamen sunt ex equestri ordine, ijs thoracem sericum non dissectum gestare, & alias uestes in extremitatibus holoserici, aut serici angusta & conuoluta portiuncula, & non amplius ornare licitum esto. Comites & barones hac in parte, quantum decet, ac ordini honestum est, excepti sunto. In summa, Quisquis uolet esse Vitebergæ scholasticus, moderatis uestibus, quæ iustam longitudinem habeant, proq; eo, ac est in alijs Academijs consuetum, Vtitor. Et in hac re Doctores & Magistri honestum in se dis-

cipulis exemplum contra quàm est hactenus à nonnullis factum, statuunto. Hæc est integra lex, quàm ut multorum uiciorum emendatricem & magnam uirtutum commendatricem uenerari, eiq; religiose parere debemus, idq; ut faciant omnes nostri, præcipimus & principis Electoris, & nostro nomine. Præcipimus etiam, ut ne quis ex nostris posthac in Pagos, aut Syluas exeat cum bombarda eaq; utatur quocunq; modo. Quod si quis uel in hanc, uel in illam legem deliquerit, faciemus, ut uel ipsum pœniteat suæ petulantiæ, & reliqui à peccando absterreantur, Vale.

XIX.

EPITAPHIVM PAVLI TERtij Pontficis Romani.

Puluis eram terræ, tenuisq; in puluere uentus,
Fæmineo suetus uiuere lacte senex.
Attamen Italicis non doctior artibus alter,
Quiq; Deum uberius ludere posset, erat.
Namq; meo summi fatuati numine reges,
Cæperunt ipsi bella mouere Deo.
Non satis æqua meæ nuper Germania Romæ,
Ingenij sensit subdola tela mei.
Quicquid id est inter fælices gaudeo manes,
Quàm uolui, auspicio est alea iacta meo.
Nunc gratare mihi partos post funus honores,
Roma mea, ad Stygios dum uagor umbra lacus.
In culicem uersus segnes afflige Tyrannos,
Qui furere in summum non potuere Deum.

Hæc mea nunc merces, hoc grato lætor honore,
Pro meritis uitæ præmia quisq; capit.

XX.

IN ELEGIAM OVIDII DE nuce Dispositio Phil. Melanth.

Hæc Elegia est planè Rhetorica plena affectuum & figurarum. Itaq; tametsi in dispositione omnia membra nō possunt apte comprehendi, tamen utcunq; annotabimus dispositionem & principalia membra. Est autem elegans prosopeia Nucis, quæ continet perpetuam & grauem querelam de iniurijs, quibus à populo afficiatur. PROPOSITIO est, se iniuste lapidari. RATIO, Quia bene mereatur & proferat fructus. Hæc ratio amplificatur uarie. Primum thesi, quod fæcunditas semper fuerit laudi in mulieribus. Hinc nascitur noua iniuriæ amplificatio per Inuersionem, At ego plector propter fæcunditatem, cui addita est translatio. Hoc si scirent aliæ arbores, non ferrent fructus. Accedit collatio, steriles arbores sunt tutæ, Et clauditur hic locus epiphonemate, quod hij plærunq; sint iniuriæ obnoxij, quibus aliquid auferri poßit. Inseritur & dilutio obiectionis, quod non sit grauis colono. Deinde amplificat fructus à iucundo, & recenset aliquot genera ludorum, qui nucibus constant. Clauditur & hæc amplificatio Epiphonemate, fælicem esse arborem, quæ prope sit remota à publica uia. Postea exaggerat iniurias per collationem causarum,

Alij

Alij alijs de causis me existimant læsam, sed populus lædit me propter beneficia. Hic repetitur locus communis, quem supra quoq; addidit, opes sæpe esse fraudi dominis, Quia inuitent prædones. Hæc exemplis declarat. Porrò commemorat & alia beneficia sua, quibus additur breuis conclusio, Ergo iniuste lapidor. Accedit πάθος, Miseram me, cui soli perpetuo hyems erat optanda, qua alioqui nihil est acerbius. Addita est & confutatio, Atq; in publico licet fructus colligere, & hæc diluitur instantia uel contrarijs exemplis, Non omnia ex publico loco rapere licet, Iura enim prohibent. Postremo adduntur & alia πάθη, quæ commodissime in ipso authore cognoscentur. In fine claudit querelam dilemmate, siue nocens, siue innocens sum, quæso me liberetis tandem hac iniuria. Potest igitur hæc Elegia referri ad statum Iuridicialem, qui confirmatur ex loco á natura &, si uoles in hunc Syllogismum redigere potes. Bene meriti iniuste læduntur, Ego sum benemerita, Ergo iniuste lædor. Versabitur igitur tota Elegia in explicatione & amplificatione Minoris á circumstantijs & affectibus, sicut ostendi.

Consilium Poetæ est, quod ingratitudinem uulgi notare uoluit. Vt enim Nux benefica queritur, se in publica uia á populo prætereunte lapidari, Ita sæpe fit, ut hij, qui in Reipub. administratione bene de alijs merentur, á multitudine malam gratiam reportent, sicut Athenis Milciades, Themistocles, & similes de

Repub.

Repub. optime meriti urbe sunt pulsi. Romæ Scipio maior quo in illo imperio non alius extitit uir præstantior animi magnitudine, & alijs uirtutibus, optimeq; meritus de repub. tandem improbitate ingrati populi coactus urbe cessit. Cicero item & alij multi magni uiri, quorum summa extant in rempub. merita, indignissime ab improbis uexati & lacerati sunt.

XXI.

RECTOR SCHOLAE VVITEbergensis Scholasticis.

Intelleximus iuuenes quosdam in hac exundatione Albis ludentes nauigare. Quare duximus admonendos esse uniuersos, quantum ea res habeat periculi. Multis funestis exemplis cognouimus, quam sit infidum flumen Albis. Eripuit enim nobis non solum incautos adolescentes aliquot, sed etiam natu grandiores. NESENVS enim uir optimus, minimeq; temerarius non alto in flumen inuectus, sed tantum extremam legens ripam, tamen perijt & ripa uix socios ornatissimorum hominum liberos seruauit. Nunc autem hoc plus est periculi, quia in ripa passim iacent arbores ac trunci, in quos cum impingunt cymbæ euertuntur. Quanquam autem suo quenq; periculo absterreri oportuit, tamen & nos cupimus, quantum authoritate ualemus, imperitis consulere. Ideo mandamus, ut deinceps hoc genus lusus omittatis. Siqui deprehensi fuerint, si tamen sæuiciam fluminis euaserint, exempli causa seuere punientur. Non est de nihilo, quod

quod fertur dæmones in undis habitare, qui uitæ hominum insidiantur. Et sciant se minus tuto nauigare, qui contempta authoritate sui magistratus nauigant. Hæc expendant Iuuenes, ne se ipsi temere in discrimen conijciant, 1530.

XXII.

INTIMATIO P. M. DE QVINto libro Ethicorum Aristotelis repetendo.

In editione scholiorum Ethices præscripsi ea, quæ in tertio libro traditurus eram, & sunt loci quidam non inutiles, cumq; nihil restet, in quo dictando prosit admodum collocare tempus, & his, qui nullos habent textus, neq; Græcos, neq; Latinos, interprætatio illa Græca, quam institui, nihil neq; uoluptatis, neq; utilitatis afferre queat, decreui repetere Quintum Ethicorum, & cum Græca lectione conferre, ut & hij, qui Græcos libros habent, collata nostra interpretatione melius intelligant authorem Græce loquentem, & alij habeant interim, quid agant, dum legunt Latinum Textum, & eruditißimas cogitationes tanti scriptoris diligentias expendunt. Ac profecto nullus est inter libros Aristotelicos suauior Quinto. Ego tamen interim domi apparabo ad eundem modum ex reliquis libris optimum aliquem, ut paulatim reliquos etiam explicatos & illustratos adipiscamini.

XXIII.

DECANVS COLLEGII PROfessorum artium Lectori, S. D.

His

His, qui olim studiorum Iuuenilium gradus fecerunt, haud dubie hoc in consilio fuit, ut scholam in classes distribuerent, & certum discendi ordinem constituerent, & per gradus quosdam teneras mentes à primis elementis literarum ad fastigium usq; ducerent. Nam uidemus eos, qui, priusquam maturuit ingenium, ad summa properant, plerunq; operam perdere. Fieri enim nõ potest, ut illa fæliciter tractentur, nisi ordine perceptis ante puerilibus disciplinis. Quare & nos ordinem prælectionum præscribemus his, qui ipsi iudicare non possunt, qua uia facillime solidam eruditionem consequantur, ut nostris legibus moniti, suis studijs melius consulant.

Principio adigant Pædagogi pueros ad audiendam Latinam grammaticen, quàm Pædagogus ita tradit, ut addat Terentium & Epistolas Ciceronis, Item ad Virgilium discendum. Ad Dialecticam, Rhetoricæ elementa, & Copiam Erasmicam. Ad Sphæram. Procli, & similia Mathematum elementa. In his tantisper commorandum censemus, dum Grammaticen perdidicerint, & latine loqui & scribere audeant, & sermo puerilibus uicijs careat. Hoc qui consecutus erit, tum demum admittatur ad alias prælectiones. Et, quia olim iudicio præceptorum publice in superiorem classem transferebantur, additus est Baccalaurei titulus, qui distingueret classem à cætu imperitiorum, quos oportebat detineri diutius in primis illis progymnasmatis.

Si quis autem hoc titulo uti uolet, huic ita demum concedetur, si hoc modo quem præscripsimus, se exercuerit.

Ab his initijs gradus fit ad superiora. Porro, qui uolet utiliter discere, danda opera est, ut totam ἐγκυκλοπαιδείαν cognoscat, ut & scientiam de tota natura, ac moribus recte ac certo iudicandi, & facultatem quandam dilucide explicandi & illustrandi res abstrusas, & de grauioribus causis clare dicendi, sibi comparet. Nam quid attinet attingere literas, nisi earum tractatione tum iudicium acuamus, tum assuescamus obscuris rebus adferre lumen dicendo, ut & rectius uera peruideamus, & imperitis commodius exponamus, & in aspectum, lucemq; proferamus. Ergo proponitur Quintilianus, ut inde Dialectica & Rhetorica absolute discantur.

Ad naturæ scientiam conducent Mathematicæ & Physicæ prælectiones.

Ad iudicandum de moribus traduntur priuatim & publice pleriq; libri oratorum ac Poetarum, qui pleni sunt honestis præceptis ciuilis uitæ. Est enim uerissimum illud, quod scripsit Horatius, Et prodesse uolunt & delectare Poetæ. Plurimum autem ad hanc partem eruditionis conferunt libelli Ciceronis de officijs.

Et quia pleraq; de natura & moribus à Græcis authoribus petenda sunt, debet ad hæc accedere etiam studium eius linguæ. His uero, qui sacras literas

recte tractare uolent, est utraq; tum Hebrea, cum Graeca pernecessaria.

Qui praeparauit ingenium hoc genere doctrinae, & his artibus, quas recensuimus, is demum uiam ad sacras literas recte tractandas, & ad ius publicum sibi muniuit. Quomodo enim iudicabunt hij, qui in Theologicis literis uersari uolent, de sermone sacrorum uoluminum, si linguas, si figurarum uim ignorauerint? quomodo exponent sacra dogmata, si nullam scientiam recte disponendae, contexendaeq; orationis scierint? At haec nulli sine magno usu harum artium, quas diximus, contingit. Quid autem efficiunt in templis hij, qui in docenda religione nullam ad explicandum rationem certam adhibent, nisi ut tenebras offundant auditorum oculis, non ut dimittant auditorem, aut eruditiorem, aut meliorem. Quid in foro causidicus, si honesta oratio eum de aequo ac bono, deq; omni natura uirtutis destituet, praestabit aliud, quám quod in Comoedijs, quae uocant, κῶφα πρόσωπα. Qui uero se ad Medicinam contulerit, nisi eò hoc adferet instrumentum φυσιολογίαν & Mathemata, haerebit ubiq; tanquam in luto, in eius artis disputationibus.

Haec monere adulescentiam uoluimus, non modo ut sciret, quem in discendo ordinem sequi conducat, sed etiam ut expenderet, quantam utilitatem priuatim omnibus & rebuspub. adferat haec, quae uocantur, puerilia studia.

Siquis Magisterij titulum ambit, is sciat sibi in his artibus operam esse ponendam. P. M.

XXIIII.

RECTOR ACADEMIAE VVITEbergensis.

Scimus Dei beneficio maximam partem scholasticorum ea modẽstia præditam esse, ut non delectentur tumultibus, sed studeant suis officijs etiam tueri cõmunem tranquillitatem. Speramus & reliquos admonitos in officio futuros esse. Et hac in re hortamur uos, ut cogitetis primum, quàm sit necessarium in ciuili societate mores accommodare ad pacis conseruationem. Tyrannicum est omnibus priuatis uoluptatibus laxare frenum, nec uelle seruire communi utilitati. Deinde scholasticos certe maxime decet ornare studia, præsertim religionis, bonis moribus, & metuere cælestem iram, si Euangelij gloriam contaminarunt nostri mores. Turpe etiam est hospitij iura non satis colere, nec uereri iudicia & uoluntates præceptorum, & aliorum grauium uirorum, qui se huc Reipub. causa contulerunt, quos mirum in modum offendit quorundam tum insolentia, tum ferocia, καὶ ἀδιατρεψία. At quouis potius concessuri uidentur, quàm ut sint spectatores talium tumultuum. Postremo ratio communis & publici periculi habenda est, ne qua occasio promiscuis cædibus præbeatur. Siquis etiam ciuium non satis colit ius hospitij, magistratus non defuturus est suo

officio. Vt igitur pax facilius retineri poßit, hæc tria interdicta proponenda esse duximus. Probibemus uociferationes nocturnas & tumultus. Item mandamus, ne quis in his hybernis noctibus post horam nonam sine lychno incedat in plateis, neue in cauponis conuiuium agitet post horam nonam. Hæc monendos uos esse duximus. Nam contumacia non erit impunita. Magnopere etiam hortamur scholasticos, ut singulari diligentia curent lychnos & ignes, & caueant, ne quod incendium ipsorum negligentia oriatur. Ienæ 10. Nouembris, Anno Domini 1535.

XXV.

PHILIPPVS MELANTHON Lectori, S. D.

Debent adolescentes in incessu, uestitu, sermone, & gestu, modestiam summa diligantia conseruare. Pertinet enim ad animum, si quid in his ineptiarum fuerit, non modo quia dißimilitudo, & nouitatis affectatio, sunt indicia uanitatis. (Capti enim his nugis mirifice sibi placent, ac sese mirantur) sed etiam, quia leuitatem animorum & plæraq; ingentia uitia alunt. Nam cum incio in paruis rebus discesserint à communibus moribus & adsueuerint iudicia grauium uirorum contemnere, fit, ut paulatim omnem pudorem ac uerecundiam, Deinde publicarum legum metum,

prorsus ex animo eijciant. In Tigellio taxat huiusmodi uarietatem Horatius, cum ait, Nil æquale homini fuit illi &c. Sed multo grauius huiusmodi uicia notauit in Iuliano Imperatore Gregorius Nazianzenus, coniecturam ex illis faciens de animo. Qui locus pueros admonere potest, ut maiorem curam adhibeant, ne quid in motu, statu, sermone ornatu, tanquam in actione, indecorum admittant, quodq; ab approbatione oculorum atq; aurium in bonis uiris abhorreat. Idem præcipit Paulus 1. Theß. 4. cum ait, περιπατῆτε εὐσχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω &c.

EX GREGORIO NAZIANZENO.

Ταῦτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἡ πεῖρα παρέστησε. καὶ ἡ δυναστεία προλαβοῦσα τὴν ἐξουσίαν, ἐμοὶ δὲ καὶ πόῤῥωθεν τρόπον τινὰ ἑώρατο. ἐξ οὗ τῷ ἀνδρὶ συνεγενόμην ἀθήνησιν. ἦλθε γὰρ κἀκεῖσε, ἄρτι τῶν κατὰ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ νεωτερισθέντων. τὸν βασιλέα. τοῦτο αὐτὸ παραιτησάμενος. Δίττος δὲ αὐτοῦ τῆς ἐπιδημίας ὁ λόγος. ὁ μὲν εὐπρεπέστερος, καθ᾽ ἱστορίαν. τῆς ἑλλάδος. καὶ τῶν ἐκεῖσε παιδευτηρίων. ὁ δὲ, ἀποῤῥητότερος καὶ οὐ πολλοῖς γνώριμος, ὥστε τοῖς ἐκεῖσε θύταις καὶ ἀπατεῶσι περὶ τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν συγγενέσθαι, οὔπω παῤῥησίαν ἐχούσης τῆς ἀσεβείας. τότε τοίνυν οὐ φαῦλος ἐγὼ τοῦ ἀνδρὸς εἰκαστὴς οἶδ᾽ ἀγενόμενος.

μένος. καὶ τοίγε οὐ τῶν εὖ πεφυκότων περὶ ταῦτα εἷς ὤν. ἀλλ' ἐποίει με μαντικὸν ἡ τοῦ ἤθους ἀνωμαλία καὶ τὸ περιττὸν τῆς ἐκστάσεως. εἴπερ μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζειν οἶδε καλῶς, οὐδενὸς γὰρ ἐδόκει μοι σημεῖον εἶναι χρηστοῦ, αὐχὴν ἀπαγής. ὦμοι παλλόμενοι καὶ ἀνασηκούμενοι. ὀφθαλμὸς σοβούμενος καὶ περιφερόμενος καὶ μανικὸν βλέπων πόδες ἀστατοῦντες καὶ μετακλάζοντες. μυκτὴρ ὕβριν πνέων, καὶ περιφρόνησιν. προσώπου σχηματισμοὶ καταγέλαστοι τὸ αὐτὸ φέροντες. γέλωτες ἀκρατεῖς τε καὶ βρασματώδεις νεύσεις καὶ ἀνανεύσεις, σὺν οὐδενὶ λόγῳ λόγος ἱστάμενος, καὶ κοπτόμενος πνεύματι. ἐρωτήσεις ἄτακτοι καὶ ἀσύνετοι. ἀποκρίσεις οὐδὲν τούτων ἀμείνους, ἀλλήλους ἐπεμβαίνουσαι καὶ οὐκ εὐσταθεῖς. οὐδὲ τάξει προϊοῦσαι παιδεύσεως. τί ἂν τὰ καθ' ἕκαστον γράφοιμι. τοῦτον πρὸ τῶν ἔργων, ἑωρασάμην, ὃν καὶ ἐπὶ τῶν ἔργων ἐγνώρισα. καὶ εἴ μοι παρῆσάν τινες τῶν τηνικαῦτα συνόντων καὶ ἀκουσάντων, οὐ χαλεπῶς ἂν ἐμαρτύρησαν. οἷς ἐπειδὴ ταῦτα ἑωρασάμην εὐθὺς ἐφθεγξάμην, οἷον κακὸν ἡ ῥωμαίων τρέφει. καί. Hoc est,

Hæc alij experientia cognouere & naturam eius licentia declarauit, qua uti cæpit, postquam imperio potitus est. Ego multo ante præsensi, cum Athenis cum niderem. Nam cum aduersus fratrem nouarentur res,

illo uenerat se purgaturus. Duplex autem ferebatur causa eius peregrinationis. Altera honesta, ut lustraret Graeciam & scholas, Altera arcana, & paucis nota erat, ut cum Idololatris de sua uoluntate communicaret, cum nodum liceret admodum consuetudinem habere cum gentilibus. Tum ego de Iuliano probe diuinaui, tametsi non sum uates, sed fecit uatem morum Iuliani inconstantia & magnitudo admirationis. Est enim ille, ut aiunt, optimus uates, qui bene coniectare nouit. Itaq; mihi minime bonae mentis indicia mihi uidebantur, uersatile collum, uibrantes humeri, & uicissim exultantes, aspectus tristis, oculi paßim uagantes, & truculentiam prae se ferentes, pedes instabiles & alternis geniculantes, Nasus contumeliam spirans & fastidium. Habitus oris ridiculus, quoquo modo se componeret, cachinni immoderati, hiatus ingens, nuere, renuere tacitum, sermo interruptus, interrogationes confusaneae ac stultae, responsiones nihilo suauiores, & ad irridendum auditorem compositae, nullo ordine incogitanter effusae. Quid singula depingam? Talis mihi antequam accederet ad Rempub. uisus est, qualem postea res gestae ostenderunt. Etsi qui adessent eorum, qui ibi uel audierunt uel animaduerterunt illa, hos testes facerem, me postquam illa uidi, dixisse. O quantum malum alit Respub. Romana.

XXVI.

HISTORIA DE INSIGNI pietate filiae erga patrem.

Cum

Cum Triumuiri Octauius, Antonius, & Lepidus fœdere inter se facto Rempub. oppressam post interfectum C. Cæsarem tenerent, & ciues diuersarum partium caperent atq; necarent, forte accidit, ut quendam captiuum præstanti loco & fortuna, miserrimo mortis genere, uidelicet fame necare constituerent. Mandatum custodibus datum est, ne quicquam cibi ad eum inferri permitterent. Hoc ubi resciuit captiui filia, ad custodes uenit lachrymans, rogansq;, ut ad patrem sibi liceret accedere, quem extremum uidere, complecti, & salutare pro sua pietate cuperet, quando nullum aliud officium tali eius tempore præstare posset. Mouit pietas custodes, ut concederent filiæ aditum ad patrem, præsertim cum appareret eam nihil cibi afferre. Illa postridie ac deinceps redit, quæ res suspicionem attulit custodibus clam sub ueste aliquid cibi afferri. Itaq; explorant eam, & excutiunt uestem, ubi cum nihil reperissent, non prohibent, quo minus ad patrem pro more accederet. Tandem secreto speculantur, quid in hoc congressu fieret, Ibi uident patrem à filia mammam præbenti ali. Perculit hæc noua mulieris tum pietas, tum calliditas custodum animos, & subijt eos miseratio, quod tanta uirtus neutiquam hac calamitate digna uideretur. Rem deferunt ad Triumuiros. Hij quoq; admirati insignem filiæ pietatem, patrem filiæ donant, eiq; insuper amplißima præmia decernunt.

Pietas filiæ erga patrem.

XXVII.

HISTORIA DE CAMBYSE *continens locum communem de Iusticia*, P. M.

Rex Cambyses præfectum imposuit Hellesponto Sisamnem, quod prouinciam domini singulari uirtute ac iusticia rexit. Sed uix ulla tanta animi constantia est, quàm non aliquando uincere atq; expugnare pecunia queat. Nam etsi hic uir magnam sibi laudem ex alijs rebus gestis peperisset, tamen aduersus pecuniæ cupiditatem non satis firmo animo fuit. Nam in aliquot iudicijs pecunia corruptus tulit iniustas sententias. Hæc res ubi ad Cambysen delata est, sentiens rex, id quod res erat, lædi existimationem regni Persici, nec posse exteras nationes in officio retineri, si iusticiæ opinionem amisisset, grauiter illi succensuit, & genus pœnæ constituendum esse iudicauit, quod exemplo esset omnibus prouincialibus magistratibus, & apud omnes gentes augeret existimationem iusticiæ Persarum, quæ maxime solet regibus conciliare uoluntates hominum. Iußit igitur Sisamnem occidi & mortuo detrahi cutem, eamq; in tribunal præfecti intendi, ut futuri iudices multis postea annis hac pelle admonerentur sui officij. Verum quo magis moueret homines nouitas exempli, filium Sisamnis Otonem patri successorem dedit, quem necesse erat magis commoueri supplicio patris, sedentem in patria pelle, quàm quenquam alium. Hoc exemplo Cambyses mirifice

sibi

sibi deuinxit omnium nationum, studia & uoluntates. Quod quidem nostris temporibus etiam documento esse debet, tum iudicibus, ut sciant Deum punire iniusta iudicia, & principibus, ut discant nullam esse commendationem principum ad populum efficatiorem, quàm iusticiæ famam.

XXVIII.
HISTORIA DE CYRSILO ex Demosthene, P. M.

Cum Xerxes in Europam traiecisset, ut bellum Græcis inferret, legatos misit Athenas, qui peterent, ut Athenienses se atq; suam urbem regi Xerxi dederent. Additæ sunt & minæ, Xerxen eos terra, mariq; oppugnaturum esse, nisi imperata facerent. Cum autem intelligeret senatus maximum Reipub. impendere periculum. Iudicabat enim periculosum esse ciuitati, si se in seruitutem barbaris daret, qui disciplinam omnem & religiones delere solebant, & tamen uires Regis metuebant, qui infinitam multitudinem secum adduxerat, & haud dubie summa ui bellum illaturus erat. Quare uocant in concionem uniuersum populum, ac iubent pro more ciues de re maxima deliberare, ac sententias dicere. Fuit autem Cyrsilus quispiam, qui magnitudinem copiarum Xerxis considerans desperabat Rempub. aduersus tantas uires defendi posse. Censet igitur tutiora consilia præferenda esse, libertatem pocius quàm uitam ac salutem amittendam esse, hortatur Athenienses, ut se atq; ciuitatem Regi Per-

ſarum dedant, Themiſtocles diuerſum ſuadebat, ne ſe ultro in turpem ſeruitutem darent, ſed ut deceret fortes uiros, libertatem tueri conarentur, Atq; is fatebatur conſilium ſuum periculoſum eſſe. Norat enim uires ciuitatis ſuæ non eſſe pares infinitis illis copijs Perſarum, ideoq; oſtendit ad uires etiam conſilium addendum eſſe, iubet ut ipſi ciues cum coniugibus ac liberis deſerta atq; incenſa urbe conferant ſe in naues. Quod ſi facerent, futurum eſſe, ut rex cogeretur mari bellum gerere. Hic oſtendit eius copias poſſe uarijs in locis á paucis claßibus uexari, ac diſtractas paulatim abſumi. Hæc ſententia etſi plurimum habebat incommodi & periculi, uicit in conſilio, quia erat honeſtior. Iudicauit enim ciuitas uniuerſa nullum quamlibet magnum periculum propter libertatem defugiendum eſſe. In Cyrſilum uero, quia dediſſet turpe conſilium & indignum hac Repub. atrocem pœnam conſtituit, ut lapidibus obrueretur. Ac mulieres etſi miſerum erat deſerta urbe in naues fugere, tamen quia Perſarum libidinem oderant, adeo probauerunt Themiſtoclis conſilium, ut & ipſæ nouum & inauditum exemplum conſtituerent in uxorem Cyrſili, quod is dediſſet conſilium pudicitiæ ipſarum periculoſum eſſe. Non enim contentæ Cyrſili pœna etiam coniugem eius lapidibus obruerunt.

XXIX.

HISTORIA DE ZOILO.

Zoilus Poeta mediocri, ſed maligno ingenio,

cum uirtute non posset inclarescere, aliud consilium cæpit. Quia enim animaduertit compendiariam uiam esse ad colligendam admirationem apud uulgus, siquis præstantiores repræhendat, ac insectetur. Inuidet enim uulgus natura excellentibus ingenijs. Quare gaudet eorum existimationi detrahi. Scribit igitur Zoilus longum Poema contra Homerum, cuius fama cum esset clarißima, sperauit se breui consecuturum esse ex huius reprehensione maximam admirationem. Sed prolatus liber nihil habuit præter uanißimas calumnias, ut plærumq; in magnis uiris repræhendendis accidit, ut per maleuolentiam, aut leuia quædam errata notentur, aut uirtutes per inuidiam deformentur, Cumq; ille calumniator librum exhibuisset in Olympijs coram tota Græcia legendum & premium flagitaret, quasi pro præclara nauata opera, totum concilium iudicauit in hoc nebulone exemplum omnibus seculis memorabile proponendum esse, ut in posterum alij de magnis uiris reuerenter & honorifice sentirent, ac prædicarent. Decernunt igitur, ut ultimo supplicio afficiatur, uidelicet, de altißima rupe in flumen præcipitatus.

XXX.

HISTORIA DE QVODAM milite ingrato.

Homo quidam rei militaris peritißimus & in bellis admirabili quadam scientia præditus sub Imperatore Aureliano stipendia fecit, qui ut plærunque fieri solet, cum in quodam loco apud eius-

dem urbis ciuem uirum honestum ac probum diuerteret, illius hospitis coniugem propter eximiam pulchritudinem & formam bonam mirum in modum amare cæpit, & cum amor indies magis magisq; cresceret, is, ut erat impatiens & militum more audax, molitus est insidias mulieri, & cogitare cæpit, quomodo ea potiri posset, Primum sollicitat animum mulieris omni blandiciarum genere, postea aperte ostendit, quid uelit, & precibus miscet minas, donec expugnet illam. Fama flagicij, ut fit, breui diuulgatur, & ad Imperatorem summa constantia & grauitate præditum, & pudicitiæ uindicem acerrimum profertur. Is propter magnitudinem sceleris ira commotus, & quanq̃ alioqui militem istum propter scientiam suam militaris rei plurimi faceret, ac ualde amaret, Tamen cum non solum contra ius hospitij peccasset, uerum etiam id, quod maximum erat, pudicitiam, quám sanctißime, religioseq; semper ipse colebat, & á suis coli uolebat, uiolasset, ipsum impunitum dimittere, neq; uolebat, neq; uolens poterat. Verebatur enim, si ille peccatum hoc condonaret, alius idem committens crederet sibi etiam id impune licere. Itaq; ut conueniens supplicium & dignam tanto scelere pœnam statueret, & eius exemplo cæteros á tali flagicio absterreret, nouum quoddam supplicij genus excogitauit, ac duas arbores simul manuari & ad unam manus, ad alteram uero pedes allegari iußit. Itaq; cum se arbores rursus erigerent, miles utrinq; summa ui discerpitur ac dilaceratur.

HIS-

XXXI.

HISTORIA DE ALYROTAO Neptuni filio.

Poetæ ut ostenderent, quantum facinus ac peccatum esset uirginem uitiare, finxerunt fabulam quandam non minus elegantem, quàm mortalibus utilem, in qua significauerunt, non minus flagicium in stupro, quàm in homicidio esse, quod tamen facinus præ omnibus alijs, maxime puniri solet. Fabulæ autem ferunt Neptuno Alyrotaum filium, Marti Alcyppem filiam fuisse. Hij cum pariter adoleuissent, Alyrotaus perdite Martis filiam amare cæpit, & ut uirgine potiretur, multa ac uaria tentauit, Postquam autem non potuit blandicijs expugnare uirginis animum, uim adhibendam esse censuit. Opprimit itaq; iuuenis audax & ualidus illam miseram ex insidijs, eiq; pudicitiam per uim eripit. MARS autem forte clamore filiæ suæ accersitus ex improuiso interueniens, illumq; in facto comprehendens, filiæ pudicitiam uindicaturus Alyrotaum occidit. Neptunus dolens filium suum tam miserabilis mortis genere extinctum esse, Martem capitali iudicio corám Dijs accusat. Vbi autem omnes Dij, Deæq; in arce Atheniensi conuenerunt, sententiam dixerunt, iudicaueruntq; Alyrotaum per hoc facinus, quod illam ui stuprasset, merito ac optimo iure interfectum esse, Martemq; laudarunt, quod filiæ suæ pudicitiam ultus esset. Vide Epito. P. M. in quæstione, Iure ne interfecerit Mars Neptuni filium propter stuprum Alcyppes filiæ Martis.

XXXII.

HISTORIA DE DVCIBVS SAXOniæ, Friderico & Ioanne fratribus.

Anno Domini 1517. quo primum mense Nouembri, editæ sunt Reuerendi D. Lutheri Propositiones de Indulgentijs, cum ex templo VVimariæ in natali Christi duo fratres, & filius Dux Ioannes Fridericus una, post mediam noctem, ut magna in utroq; erat reuerentia erga res diuinas, egrediuntur cum frequenti comitatu, uident supra arcem, cœlo sereno, fulgentem crucem purpuream, satis magnam & perspicue expressa figura. Ibi cum diu starent attoniti spectatores, fratres colloqui de religione cœperunt, & eo signo portendi futura certamina de doctrina & domus Saxonicæ pericula, uaticinati sunt. Accidit etiam illis annis, ut cum ex Argelia in Albi nauigarent Vuitebergam in ipsa bruma, nauis duriter quassata sit glacie, ut non paruas moles interdum uelit Albis. Nolunt tamen principes nauim ad ripam prius adplicare, quàm huc ad arcem uentum esset, quanquam tabulæ nauis iam dehiscere incipiebant. Cum autem huc uentum esset, & iam principes ex naui egreßi essent, priusquam reliqua multitudo in ripam ascendit, dissoluuntur tabulæ, & paßim in Albi natant, stant simul fratres in ripa, & fatentur se diuinitus seruatos esse. Fridericus etiam addit utinam hæc nauis non significet naufragium domus Saxonicæ &c.

XXXIII.

IVDICIVM PHILIPPI MELANthonis de suo libro locorum communium recognito, factum 1542. Vitebergæ, 5. Iulij.

Hæc editio plus proderit studiosis Theologiæ, quàm prior. Præterquam enim quod D. Iustus Ionas in priore uersione multa negligenter reddiderit, quæ à me ipso iam maiori cum diligentia recognita sunt, dedi etiam operam, ut quantum fieri posset, terminos Theologicos siue de fide, siue de alijs articulis, quibus Iunior Theologus in publicis concionibus uti debeat, quàm proprijßime redderem. Sentio enim, quantum utilitatis afferat proprietas sermonis, præsertim si de religione populus docendus est. Quare consulo, ut emas, legas, adeoq; familiarem tibi reddas, ut aliquando uersatus in sacris literis hunc librum locorum communium non solum norasse, sed etiam concoxisse, ac in succum & sanguinem conuertisse tuum uidearis. Id autem spero te assequi posse, si in concionibus semper unum certum aliquem locum communem tractaueris, hocq; tamdiu feceris, quoad omnes tibi perinde ut digiti tui noti fuerint. Præterea decem ferè locos correxi, hoc est, totos alios feci, sicuti apparebit, si cum priore editione contuleris.

consilium pro iunioribus theologis.

DE VTILITATE PRIVATAE Confeßionis Hiſtoria tremenda & inaudita de inceſtu matris erga filium & filij erga filiam ſuam.

Confeßio priuata mordicus retinenda eſt uel ea de cauſa, (etiamſi & aliæ cauſæ, quæ adducantur, non ſunt negligendæ) ut turbatis conſcientijs poßimus mederi, ne ad extremam deſperationem redigantur. Hoc enim modo multos retineri in uiuis, & conuerti ad Deum, qui alioqui ſibi ipſis mortem inferrent & mancipia Sathanæ eſſent. Protulit autem Martinus Lutherus in lectione Geneſis hiſtoriam quandam, quæ Erphurdiæ accidit tum temporis, cum ibi degerit uitam, cuius hæc eſt ſumma. Fuit Erphurdiæ uidua quædam magnæ fortunæ, cui erat unicus filius, alebatq; in domo ſua etiam adoleſcentulam agnatam, quam perdite amare cœpit filius, qui cum ſæpe multumq; ſollicitaſſet puellam, & eius concubitum tentaret, ea ſemper reſpuebat, ſuamq; Zonam illæſam retinebat, Illum uero magis magisq; ſtimuli Venerei uexarunt. Tandem cum ille impurus á proluuio rei Venereæ non poſſet abduci, defert iuuencula totum negocium ad matrem. Mater autem hac horrenda re audita, age (inquit) agnata, promitte nebuloni te facturam ei copiam tui corporis, indicata tamen mihi prius hora. Ego enim pro te in ſtratum tuum deſcendam, cumq; ille nebulo explere ſuam libidinem uoluerit, ego tractabo eum, prout dignus eſt. Quid fit? filius iterum accedit puellam

ellam obsecrans, ut sibi morem gerat, quo poßit pru-ritum carnis extinguere. Iuuencula promittit & constituit certam noctem, de qua facit matrem certiorem.

Constituta autem hora noctis uenit ille captus prauis libidinibus ad lectum, amplectens magno cum ardore matrem falso creditam iuuenculam. Mater tacet cupiens experiri, quid sibi filius uellet. Quid tum postea? Incurrit interea mater proh dolor in easdem illecebras, polluunturq; mater & filius incæstis libidinibus. Mater redditur grauida, gignit infantulam ex filio, filius prorsus ignorat se esse patrem. Non enim certior factus erat, se rem habuisse cum matre, filius peregrinatur, infantula educatur, Cumq; aliquanto post rediret ad ædes maternas filius, uidet adolescentulam aliam forma egregia in domo sua, qnam cum summo etiam amore prosequeretur, rogat matrem, ut sibi eam det in uxorem. Mater pertristis recusat nuptias. Illius uero cupiditas incensa comprimi atq; restingi nullis modis potuit, sed etiam atq; etiam sollicitat matrem, quæ tacita uaria, imò in pectore uersans agnoscebat, quantum commisisset cum filio flagicium, metuebatq; suam & filij uitam fore in periculo re manifesta. Tandem dat uxorem filio, qui est pater uxoris. Furiæ ultrices interea misere exercent compressam conscientiam matris, sicut fit. Illa uero tandem mota credo suo genio accedit sacerdotem, confitetur ex animo peccata, petitq; consilium & consolationem conscientiæ procellis Diabolicis exagitatæ. Cum uero mi-

nister ille miseram mulierem explicare aut sedare non potuit, nedum mederi ei in re inaudita, permisit se delaturum rem ad superiores, curaturumq;, ne diffametur. Interea conueniunt Doctores, interrogant uiduam, num certum sit, filium ignorare filiam esse suam, quam habet uxorem. Deinde utrum mutuo amore sese complectantur, sintq; unanimes. Dum mater affirmaret omnia ita esse, req; deliberata satis magna, remittunt mulieri peccata, monent & hortantur eam, ne aperiat filio in posterum uxorem esse filiam suam, sed in nomine Domini utantur matrimonio. Hac confeßione demum liberata est mulier ex suis ærumnis & tentationibus ingentibus, quæ nisi extitisset, sine dubio mulier desperasset, sibiq; ipsi mortem intulisset, 1544.

XXXV.

INTIMATIO P. M. IN PRIMVM librum Ptolomei de Iudicijs.

Etsi prudenter dictum est illud, Quàm quisq; artem didicit, eam exerceat, tamen præceptores delibare aliquid interdum coguntur ex alijs artibus, quibus non sunt prorsus dediti ut excitent studia Iuuentutis, Id facio non raro, profecto non ad ineptam & ridiculam ingenij ostentationem. Meo enim me pede metior. Sed præmonstrator esse cupio, ut sciant adolescentes, pleraq;, quæ olim defuerunt in scholis, expectanda esse sibi ingenti animo, & ut occasiones habeāt, authores proponere optimos studeo. Hoc consilio & animo

animo institui interpraetari Ptolomei librum de Iudicijs in quo nihil, nisi grammaticam interpraetationem polliceor, cuius certe non sum planè rudis. Id autem eò facio, ut optimus author fiat notior, ac familiarior adolescentibus. Et ut aliqui faelicioribus ingenijs praediti accendantur ad studium illarum praestantißimarum artium. Et multa sunt Physica in his, quae assequi omnes studiosi facile possunt, & sunt utilia in uita. Incipiam autem hodie Deo iuuante hora prima, Ienae 14. Octobris 1535.

XXXVI.

PRAEFATIO P. M. IN SECVNdum librum Ptolomei de Iudicijs.

Quo consilio susceperim enarrationem Ptolomei, antea saepe exposui, ac nondum me iudicij mei poenitet. Nam huiusmodi libri sunt inuehendi in scholas, & cum erunt in manibus, paulatim obscuris locis lumen accedet, cum agitari caeperunt, & ars ipsa studiosis erit gratior. Sed illud mihi permolestum est, quod quosdam tam cito fastidium tam boni authoris caepit. Etsi enim non omnia explicare possum, & quaedam confragosa loca parum habent uoluptatis, Tamen est operaeprecium uidere in summa, quas res praecipue tam grauis author tradiderit. Id certe hactenus intelligi potuit. Habuit primus liber utilißimas de fato, de caussis Physicis, deq; alijs quibusdam

locis sententias, quæ ad multas res iudicandas in uita conducunt, & habent usum in reliqua Philosophia. Idq; ualde miror, quosdam potuisse hæc abijcere. Discipulus prioris est posterior dies, ut ait uetus uersiculus. Quare etiamsi nunc non omnia assequimur, at aliquid boni auferre possumus. Cætera deinde usus patefaciet. Meminerimus hanc scholasticam uitam uerißimam militiam quandam esse. Nec uero decet milites statim frangi & deficere animis, etiamsi non omnia ex sententia successerint. Quare adhortor studiosos, ut redeant ad audiendum Ptolomeum. Hodie enim Deo uolente secundi libri enarrationem incipiam, qui habet gentium discrimina, causas tempestatum, Eclipsium & Cometarum significationes. Harum tantarum rerum admiratio profecto debebat inuitare studiosos. Ego ut cum in plerisq; alijs multa erui immorando, Ita in hoc genere spero mihi constantiam aliquid allaturam esse utilitatis. Quare gratiam habeo his, qui me non deseruerunt. Et spero hos fructum quamlibet exiguum, non tamen aspernandum suæ facilitatis cæpisse, Certe studium eorum meretur laudem, 1536.

XXXVII.

INTIMATIO P. M. IN SECVNdam Olynthiacam Demosthenis.

Pollicitus sum me rursus aliquid Demosthenis enarraturum esse. Quare ut fidem meam liberem, decreui Deo uolente cras incipere interpretationem secundæ Olynthiacæ, & certam habeo consilij causam, cur

cur ab illa exordiendum duxerim. Quanquam autem non ignoro, qualia fiant iudicia de toto hoc genere studiorum Latinæ & Græcæ linguæ, tamen spero aliquibus nostram operam in hac re gratã fore. Quod si hæc nostra studia uere sunt uirtutis studia, meminerimus ea expetenda atq; colenda esse propter dignitatem, & adhibendam esse constantiam, ac pacientiam aduersus agrestium quorundam & barbarorum iudicia. Nulla enim uirtus sine fortitudine coli ac retineri potest, Bene Vale. 1533.

XXXVIII.

INTIMATIO P. M. IN QVARtam Philippicam Demosthenis.

Speraui me suauitate secundæ Olynthiacæ inuitaturum esse auditores ad Demosthenem cognoscendũ. Quid enim dulcius at melius ea oratione cogitari potest? sed ut uideo, surda est hæc ætas ad hos authores audiendos. Vix enim paucos retinui auditores, qui mei honoris causa deserere me noluerunt, quibus propter suum erga me officium habeo gratiam. Ego tamen meum officium pergam facere, uel in uicis dicetur in conuiuijs, adhuc prælegi ueteres ac laudatos scriptores. Cras incipiam Demosthenis quartam Philippicam. VVittebergæ ad 6. Calend. Maij, 1533.

XXXIX.

INTIMATIO P. M. IN PROblemata Aristotelis.

Memini uirum optimum & excellenti doctrina

præditum Iohannem Stofflerum, cum Tubingæ Mathematicen profiteretur, deplorantem ignauiam Iuuentutis & Philosophiæ contemptum, dicere solitum se, si unius horæ spacio semel infundere uniuersam Mathematicen scholasticis posset, tamen sic affectos esse Iuuenes, ut uideretur ægre exoraturus, ut usuram sibi huius unius horæ tribuerent. Non dicam autem, quanto iustius queri poßimus de huius ætatis iuuentute, quæ superbißime contemnit eas literas & artes, quibus adolescentia maxime perpoliri debet. Sed omittam in præsentia querelam, tantum rogabo moderatos scholasticos & rogabo propter Deum, qui certe offenditur contemptu literarum, ut dent nobis operam enarraturis Deo uolente, ex Aristotele primum problema partis seu sectionis Tricesimæ. Cum satis multi sint hic Græci codices, non deest facultas describendi. Prælegam autem ea hora, qua Demosthenem hactenus interpretatus sum. Ideo enim Philippicas omitto, quia breui prodibunt conuersæ. Et M. Franciscus Vinariensis nunc eam orationem prælegit, quæ est longe optima. Nos & aliquando ad Demosthenem redibimus. Tamen tribuemus aliquid etiam operæ Philippicis & curabo quædam breui excudi. Porro in hoc Problemate non solum Physica quædam sunt digna cognitione, sed etiam tanta suauitas orationis, ut nihil dici poßit dulcius, & uel hic unus locus satis testari poterit Aristotelem elegantißime locutum esse, 1 5 3 4.

XXXX.

INTIMATIO P. M. IN ORATIONEM Isocratis de actione illa transferendi muneris publici.

Cras Deo dante inchoabo enarrationem orationis Isocrateæ περὶ τῆς ἀντιδόσεως, in qua utilis est commemoratio, quod genus literarum & studiorum præcipue prosit ciuitatibus, ac multa ibi grauißime dicuntur de honestis & iustis officijs. Quare spero eam orationem studiosis profuturam & placituram esse. Proinde hortor auditores, ne pigeat eos operam collocare in cognoscendo scriptore imprimis utili & Eloquentiæ & continente res dignas cognitione.

XLI.

INTIMATIO P. M. IN ORATIONEM Isocratis περὶ ζεύγους.

Oratio quædam Isocratis est περὶ ζεύγους, in qua est defensio Alcibiadis. Hanc pollicitus sum me interpretaturum esse. Continet enim exemplum magni & præstantis ciuis, qui per inuidiam ciuitate pulsus magna postea uarietate consiliorum & fortunæ usus est, Quo in exemplo cerni potest non solum expositam uirtutem inuidiæ, sed etiam quantum referat ea ciues esse moderatione, ne quid irritati iniurijs secus faciant. Argumentum iucundum est, & lectu dignum. Ideo cras deo dante hora Septima interpretationem eius orationis Isocraticæ inchoabo, & tribuam ei biduum singulis septimanis. Adiungam etiam cæteras meas prælectiones usitatas. Idus Nouembris, 1536.

XLII.

INTIMATIO P. M. IN LIBRVM Aristotelis de Mundo.

Absoluto hoc capite Problematum, in quo hactenus uersati sumus, proxime incipiam Deo uolente enarrare Græcum Aristotelis libellum, cui titulum fecit de Mundo. Breuis est & elegans Epitome de Planetis, Aëre, Meteoris, Terra, & partibus Terræ, ideoq; enarrare decreui. Quia propemodum Methodus quædam est, quæ Physicæ in breuem summam contracta est. Libellus ad Regem Alexandrum scriptus est. Quare si Aristoteles hoc scriptum dignum putauit rege omnium, qui unquam fuerunt, ingeniosißimo, nos quoq; dignum esse nostra lectione putemus. Nec uobis turpe est tanti regis condiscipulos esse. Versionem pro more dictabo, & ubi uidebitur, aliquid addemus.

XLIII.

INTIMATIO P. M. DE PRAElegendo Nicandro.

Nicandrum ideo enarrare decreui, quia plurimas habet herbarum descriptiones plenas frugiferæ eruditionis. Est autem non infima pars Philosophiæ consideratio plantarum. Cum enim describuntur earum naturæ, cum usus ostenditur in remedijs multa Physica simul commemorari necesse est, mirificam plantis uim inesse diuinitus insitam, ad salutem corporis humani tuendam, & cum grauiter urimur, plærunq;

runq; respondent euentus in medicando. Huius rei testes plurimos allegare possem. Ruta arcet pestilentiam & ueneficia. Quare ab homero Moly tantopere prædicatur, quod rutam syluestrem significat. Chameleon & Carduus Benedictus præsens suppeditant remedium in Pleuritide, cumq; hæc efficacitas & rerum uarietas ostendunt non casu extitisse naturam, sed ab aliqua æterna mente ordinatam ad usus humanos, admonet nos hæc consideratio de prouidentia. Estq; & ob hanc causam bonis ingenijs parata hæc doctrina, quod mentes humanas ad agnitionem, admonitionem, & amorem Dei opificis traducit καὶ ὁδηγεῖ. Quare studiosos adhortor, ut frequenter audiant. Etsi enim non omnes Plantas monstrare potero, tamen plerasq; indicabimus, ita ut agnosci possint. Siquibus deerunt codices, facile poterunt singulis septimanis paucos uersiculos describere. Cras hora tertia incipiam enarrationem.

XLIIII.

DE MOLY HERBA CELEbrata ab Homero 10. Odiss.

ὥς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον ἀργειφόντης
ἐκ γαίης ἐρύσας καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν.
ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.
μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοὶ χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
ἀνδράσι γε θνητοῖσι. θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

IOANNES PRASSINVS
sic transtulit.

Dixit, & auulsa pratis è mollibus herba,
Me bonus aduersus muniit ista mala.
Nigra fuit radix herbæ, flos candidus ipse,
Vel lac uicisset, Sythaniamue niuem.
Moly uocant superi, raro mortalibus ægris
Cernitur, hæc diuis copia sola datur.

HELIVS EOBANVS HESSVS
in Homericis Iconibus sic lusit de Moly herba celebrata.

Meonidæ sacro celebratum carmine Moly,
Cur adeo rarum tempora nostra ferunt.
Sic ego, castalidum sic reddidit una sororum,
Quod nunc more hominum uiuere nemo cupit.
Bellua ne fieret sapiens præcauit Vlysses,
In cuius natum pectore Moly fuit.
Qua nocuas poßis uitare Cupidinis artes,
Non nisi de superis ista medela uenit.
Tradidit ergo uiro florem Cyllenius album,
Radicis longæ uirgula nigra fuit.
Moly uocant superi, mortalibus ipsa salubris
Herba, sed in raris inuenienda locis.
Illud habet præsens contra data Philtra uenenum,
Si proprio fuerit tempore Moly datum.
Quod quia tam pauci norunt, tam plurima monstra
Vultibus humanis, tempora nostra ferunt.

De Moly uide etiam Plin. lib. 25. cap. 4. & Dioscoridem

coridem lib. 3. cap. 49. ſic Ouidius in Meta: pacifer huic florem dederat Cyllenius album Moly uocant ſuperi nigra radice retentum. Theophraſt. lib. 9. de hiſt. plantarum. Galenus dicit Homericum Moly appellari etiam Armela lingua barbarica uocant, & Armoly. Eſt autem proprie ruta ſyluestris, wilde oder feldrauten. Naturaliter amat ficum & graſſante peſtilentia eſt præſentißimum remedium. Eſt etiam res efficax contra uenenum. Nicander uocat σκῦρον ἐχθρὸν Theriacis.

XLV.

DE NEPENTHE EX 4. Odiß. Homeri.

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων,
ὃς τὸ καταβρέξειεν ἐπὴν κρητῆρι μιγείη,
οὐκ ἂν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν
οὐδ' εἴ οἱ κατατεθναίη μήτηρ τε πατύρ τε,
οὐδ' εἴ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν, ἢ φίλον υἱὸν
χαλκῷ δηιόῳεν, ὁ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶντο,
τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα
ἐσθλὰ τά οἱ Πολύδαμνα πόρε Θῶνος παρόκοιτις
Αἰγυπτίη τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα,
φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα πολ-
(λὰ δὲ λυγρά,

Hoc

Hoc est,

Statim in uinum iniecit medicamentum, unde bibebant
Luctum expellens & iram sedans, malorum obliuio=
(nem inducens omnium,
Quicunq; hoc deglutiuerit, postq̃ in cratera immixtũ
(fuerit.
Nequaquam per diem integrum effundere posset la=
(chrymam a genis,
Neq; si coram ipso fratrem, uel charum filium
Ense trucidarent, hic autem oculis uideret.
Talia Iouis filia habebat medicamenta prudentia
Bona, quæ ei Polydamna præbuit Thonis uxor
Aegyptiæ, ubi plurima producit fertilis aruam
Medicamenta, multa quidem bona mixta, multa autem
(mala.

HELIVS EOBANVS HESSVS
in Homericis Iconibus sic lusit de
Nepenthe herba nobilißima.

Nubila tristiciæ Nepenthes inertia pellens,
Moeonio notum carmine nomen habet.
Hanc Helene formosa mero commiscuit herbam,
Hospitibusq; alijs, Telemachoq; dedit.
Protinus & curæ, sæuiq; abiere dolores,
Protinus & rursus & rediere ioci.
Pulchri lætifico Nepentheos ebrius hausti
Hei mihi, non iterum sobrius esse uelim.
Tunc mea non aliquos sentiscent pectora motus,
Non dolor in nostris sensibus ullus erit.

Non

Non si chara parens, non si fraterue, paterue,
Occumbat nostros mortuus ante pedes.
Dic age, num talem uim talibus esse sub herbis
Credis? an his mulier uiribus esse potest?
Nam mulier satis herba potens, sed tristia lætis
Miscet, & hoc uitio, quàm loquor, herba caret.
Quicquid id est, ego mitte Helenas mihi talia mille,
Sæpe uelim facili fundere uina manu.

BVDAEVS sic scribit in posteriobus Annotat: in Pandectas. fol. 324.

Locus ille Homeri celebratus est á Græcis ob Nepenthes illud, quod Helena cum Thelemachum cum Pisystrato hospicio suscepisset, in conuiuium attulit, in uinumq; iniecit, cuius medicamenti erat ea uis et facultas, ut omnium malorum obliuionem ingeneraret, siquidem usq; adeo lætificum erat atq; exhilarans potores, ut qui uinum eo temperatum hausisset, nullam inde lachrymam eò die emittere posset, non si ambo eius parentes mortem eo die obijssent, non si liberi eius in ipsius conspectu contrucidati fuissent, propterea eiusmodi Pharmaca μητιόεντα uocat Homerus, hoc est, κατὰ τὴν θεωρητικὴν τέχνην ἐσκευασμένα.

De illo remedio Homerico est apud Theophrastum lib. 9. de historia Plantarum cap. 15. inter alia, Inter quæ uel illud medicamen luctus & mœroris esse autumant, omnium ita ut malorum obliuionem, atq; indolentiam facere poßit. Hinc Plinius fortasse non

apud

apud Theophrastum ἀπάθειαν, quasi indolentiam & impatibilitatem malorum, sed ἀ·πένθειαν legit, quasi luctus ueniam. Nam Plinius lib. 25. cap. 20. & lib. 24. facit mentionem Nepentheos.

Macrobius lib. 7. Satur:

Non minus autem, quàm dulcedo uini hilarant uerba conuiuium. Nam si Homeri latentem prudentiam inscruteris altius, delinimentum illud, quod Helena uino miscuit, non herba fuit, non ex India succus, sed narrandi opportunitas, quæ hospitem moeroris oblitum flexit ad gaudium. Meminit & Philostratus in uita Apollonij lib. 7. Eustathius.

νηπενθὲς dicitur οὐ μόνον ἐστερημένον πένθους, ἀλλὰ καὶ στερίσκον ὃ ἐστὶν ἄλυπον. Deriuatur à steritica particula νε & πένθος, quod tristiciam significat.

D. VITVS VVINSHEMIVS ENARrans Homerum sic declarauit hunc locum.

Dicunt Homericum Nepenthes esse Helenium & denominatum ab Helena, propterea quod ex Aegypto traduxit in Europam, & propagauit, sicut sunt multæ herbæ denominatæ ab inuentoribus, ut Teucrium à Teucro. Deinde dicunt esse, Inulam Campanam, Alatwurtzel, cuius in Campania magna copia nascitur. Si hoc uerum est, tunc nos etiam habemus Nepenthes. Porrò Enula Campana reddit uina sana. Dioscorides lib. 1. cap. 27. uocat Helenium, siue à lachrymis

mis Helenæ, siue, quoniam contra serpentes ex eo primum à muliere illa remedium inuentum fuerit.

XLVI.
DE SPERMOLOGO.

Budeus in commentarijs Græcæ linguæ ait σπερμολογεῖν significare idem, quod nugari & uerba loquaciter fundere & deblaterare, unnütz gewesch treiben, Hinc σπέρμολογος dicitur nugator, loquax, uaniloquus, blaterator, ein lotterbub, landfarer, Tyriacks kremer, zanbrecher, speier, vnd des gesindes, das mit vnnützen gewesch hin vnd wider im lande sich neret. Sic in Actis cap. 17. Paulus contemptißimo nomine spermologus uocatur, hoc est, seminum collector, quod genus hominum abiectißimum erat, quales apud nos habentur Myropolæ, ac Pharmacopolæ circumforanei & quos uulgo uocamus, dentium extractores. Ita Demosthenes in oratione περὶ στεφάνου, Aeschinem contumelioso uocabulo appellat spermologum, quod ad quæstum quiduis diceret. Atheneus σπερμόλογον auem describit, quam nos uocamus, den staren, ubi Græci maximo consensu aiunt esse auem ex genere coruorum, quam nos dicimus garrulum, ein höher. Marcolfus, holtzschreier. Gaza græcam uocem expressurus frugilegam uertit, cum ab Aristotele inter σπερμολόγα? recenseatur, & fructibus arborum ut glandibus, plusquam frugibus uescatur.

DE

XLVII.

DE GENERE SERPENTVM, qui uocantur Hæmorrhoides P. M.

Nicander in Theriacis ait genus esse serpentum, quod appellat Hæmorrhoidas. Sunt autem exiguæ bestiolæ, unius longitudine pedis, sed ueneni tanta uis est, ut ab illis icto sudor erumpat cruentus toto corpore, ut ex ore, naribus, auribus, uesica large profluat sanguis, ut sangineas lachrymas extillent oculi, ut ardeat incredibili inflammatione totum corpus. Huius generis bestia cum in Aegypto necasset Nauclerum Helenæ, Heroica mulier pede illam contriuit, unde & posteritas Hæmorrhoidum dicitur claudicare amissa spina.

Porro euentus ostendit hanc nouam Sophisticam interpretandarum traditionum Venenum esse nõ dissimile Hemorrhoidum. Indocti etsi sunt nobis infesti, tamen pertinacia & odio pugnant, non pugnant authoritate. Istæ Hæmorrhoides propter doctrinæ opinionem, propter Sophismata, & ut uocat Paulus, propter speciem sapientiæ, sunt in admiratione, incitant animos potentum ad opprimendam ueritatem. Hoc ueneno accensi principes flammas odij concipiunt, fiunt cruenti & furenter crudeles. Sed Christus non sinit obrui lucem Euangelij. Proinde Ecclesia, in qua lucet uera doctrina, tandem illis Hæmorrhoidibus spinas exeret. Non oppriment ueritatem Sophisticæ ille interpretationes, & astuta & crudelia consilia impiorũ. Hactenus P. M. in Epist: Pauli ad Ro. ca. 14.

XLVIII.

DE DOCTORE IOANNE ECCIO.

Columen Papistici gregis & murus ille æneus sacrificulorum Eccius Anno 1543. die decima Martij grauiter decubuit, & quatuor morborum generibus intra septem dies misere distorsus & uexatus est, nempe febri, phrenesi, epilepsia, & tandem apoplexia uitam finijt, semel atq; iterum clamitans, wer nu die vier taussent gulden hette, so stunde es alles wol. Id quod D. Philippus Melanthon de summa illa pecuniarum interpretatus est, quam illi in Comitijs Ratisbonensibus sacrificuli polliciti fuerunt, ut deliria & figmenta eorum de transsubstantiatione in Eucharistia defenderet. Hinc P. M. fecit de Eccio distichon,

Multa uorans & multa bibens, mala multa locutus
Eccius, hoc uentrem condidit in tumulo.

XLIX.

DE VOCE BAAL ET BVLA M. Luth.

Baal punici uidentur dicere Dominum, ein haußherrn oder hauswirt. Bula autem dominam, ein haußfraw, quæ uox Bula facta est nunc Germanica, sicut dicimus Mein holder Bula, &, Ich mus einen bulen haben. quæ olim honesta appellatione significabat uirginem aut puellam, quam ambibat adolescens, & in uxorem expetebat. Nunc autem aliam significationem nacta est illa uox.

L.

ἰν παρθενόπολιν.

At tu cui pura fecit de uirgine nomen,
Virginea uirtus ſimplicitate potens.
Sic age perge Deo inuiſos arcere Tyrannos,
Et Chriſti pura mente tuere decus.
Iam feret æternam tibi gloria uera coronam,
Ante homines uirgo ſtabis & ante Deum.

I. S.

LI.

DE FORTITVDINE D. PHILIPPI Melanthonis, qui oppreſſus à Sicario Polono multis ictibus à uenabulo exceptis Vi repreſſa, incolumis euaſit.

EPIGRAMMA IOANNIS Stigelij.

Aſpera nocturno dum feruet rixa tumultu,
Impiaq; effrenis concitat arma furor.
Agmine pro Phœbi ſolitus uigilare Melanthon,
Accurrens monitis triſte diremit opus.
Audijt eloquio uincentem & pondere ueri,
Et poſuit fremitus cætera turba ſuos.
Vnus & is tetri captus Cacodæmonis æſtro,
Strinxit in auguſtum barbarus arma ſenem.
Hoc ſcelus ut fertis generoſi infame Poloni?
Ille etenim è ueſtra Sarmata gente fuit.
Quid caput hoc ſeneum tibi barbare fecerat hoſtis,
De quo iure poteſt nemo fauente queri.
Non tamen aut animus, firmæ aut in corpore uires,
Muſarum oppreſſum deſtituere decus.

Rep-

Reppulit obiecti uim tantam uerbere pili,
Obuiaq; innumeris ictibus arma tulit.
At tua te Nemesis meritæ te in tempora pœnæ,
Impulit iniustis quæ solet esse Comes.
Ergo omni à populo damnatus iure fuisti,
Dum fermè saxis obrutus exul abis.
Gratia sit Christo, qui paruo in corpore Magnus,
Militiæ seruat membra dicata suæ.
Quod si uim reprimens uirtus in corpore tanta est,
Prælia si fortis talia dextra facit.
Quid facies animo blaspheme ac impie liuor,
Hic plenum inuicto numine robur habet.

Anno 1555.

LII.

INTIMATIO P. M. DE PRAElegendo Thucydide.

Fortaßis aliquis dicet mihi me sine causa laborem accersere, quod prælego qualiacunq;, sed tamen animo supplici hanc aßiduitatem hactenus præstiti, & duxi inuitandam esse iuuentutem ad ueterum scriptorũ etiam difficilimũ cognitionem. Enarraui græca Poemata utcunq;, ut authores optimos iuuentus in manus sumeret. Cras Deo iuuante enarrationem inchoabo Thucydidis historici, quem Demostenes descripsisse octies, & memoriter tenuisse dicitur. Siquem & linguæ & ueterum historiarum studium delectat, Is fortaßis alicubi nostra opera adiuuari in eo authore poterit.

LIII.

INTIMATIO VITI VVINSHEmij de prælegendo Homero.

Ad diem Mercurij proximam auxiliante Deo incipiam interpretari librum 18. Iliad. Homeri, quem cum propter alios multos insignes, ac prælucentes locos, quos continet, tum uero, præcipue propter descriptionem Clypei Achillis, quàm omnium ætatum magni & ingenio, & doctrina excellentes uiri penè ad stuporem usq; sunt admirati. Quemadmodum enim cælum toto corpore suo lucidum est, & stellis insuper ueluti ignibus accensis illuminatur, quædam tamen in eo præ cæteris lumina fulgent, Ita totum quidem Poema Homericum luculentum est, & infinitis insuper uelut præfulgentibus astris illustratum, sed tamen habet sua quædam ceu luminaria magna, Inter quæ recte nominatur iste 18. liber, qui in Iliade Homeri uelut Sol prælucet, ut cæteros quidem omnes in alijs, in hoc autem libro seipsum superasse Poeta uideatur. Proinde eum studiosis commendamus. Nam uel iste unicus liber potest esse illustrißimum exemplum ingenij, doctrinæ, uenustatis, ac sapientiæ, quibus diuinis dotibus hæc natio eximie cæteris omnibus præpolluit. Ego etsi scio me huic authori pro dignitate enarrando, non posse satisfacere, dabo tamen operam, ut quemadmodum antehac feci, aßiduitatem meam, fidem, ac diligentiam probem auditoribus, Bene Valete.

LIIII.

INTIMATIO P.M. IN FVNERE Illuſtriſsimi principis Ioannis Ducis Saxoniæ, VVittenbergæ ad 14. Calend. Septemb. Anno Domini 1532.

Exemptus de rebus humanis, Princeps Opt. Ioannes Dux Saxoniæ, cui uolumus, ut hoc poſtremum officium hodie præſtatis, ut funus deducatis circiter horam ſeptimam ante meridiem. Conuenietis autem omnes ad templum arcis. Quod Xenophon dixit bonum principem bono patri ſimillimum eſſe, id uere in hunc principem conueniebat. Vere enim paternum animum erga ſuos habebat. Tanta humanitas meretur, ut nos quoq; humani animi officia præſtemus, & eius funus pro ſtudio deducamus, & noſtris precibus ſalutem uniuerſæ Reipub. Deo commendemus, quæ profecto hoc extincto magno in periculo eſt.

LV.

RECTOR ACADEMIAE VVittenbergenſis.

Significatum eſt nobis iuſſu Illuſtriſsimi principis noſtri Iohannis Friderici, quod ſua Celſitudo, craſtina die á concione D. Doctoris Martini ſuam uoluntatem ac ſententiam de conſeruanda ac conſtituenda ſchola noſtra publice recitari uelit, omnesq; Academiæ alumnos ob eam, cauſam in arce conuenire cupiat. Proinde iubemus, ut omnes Magiſtri, Doctores, Licentiati, ſcholaſtici, præceptores, ac diſcipuli craſtina

die concioni intersint, eaq; finita ad arcem in aulam quandam confluant ad audiendam sententiam Illustris simi principis nostri, idq; mandatum nullo modo negligant. Nam & hoc pietas ipsa exigit, ut debitam obseruantiam principi diuinitus nobis dato, omniq; genere uirtutis excellenti præstemus, & studia nostra postulant, ne nos obedientia erga optimum principem ab idiotis superari patiamur. Si qui nobis, imò Illustrißimo principi hac in re non paruerint, acerrime mulctentur, 1532.

LVI.

DE VRIS.

Cum in Thessaliam è saltibus, qui illam cingunt undiq; in agros pabulatum Vri magno numero excurrere consueuissent, & in agris primum segetem depascerent, & in pecudes, post in agricolas etiam, ubi pabulum defecisset, impetum facerent, paulatim agri in tota regione deseruntur, nec coluntur amplius. Nam coloni se ex agris in urbes recipiunt, ut moenibus ac tectis se aduersus uim belluarum defendant. Verum agrorum uastitas non multo post in urbibus famem peperit. Et aliunde importari nihil potuit, cum uias omnes belluæ obsedissent, quarum sæuiciam fames etiam auxit, cum ex agris non suppeteret pabulum. In tantis difficultatibus cum diu consultatio tenuisset, qua arte, aut quibus machinis expellerentur Vri, Tandem rex Ixion edictum proposuit, iuuentuti præcepit, ut frequentes conueniant, quo quisq; genere arcuum aut teli

poßit, pollicetur bene gerentibus rem amplißima præmia & interea de publico uictum. Erant inter iuuenes, qui sentiebant plenam rem pericli fore, si cominus cum uiolentißimis bestijs confligerent, & nuda & infirma corpora illis dilanianda obijcerent. Videtur itaq; bestiarum ope aduersus bestias uti, capiuntur & donantur, assuefiuntq; equi. Ex his cum adsequi propter uelocitatem fugientes bestias poterant, tum etiam effugere, si qua uis ab illis parabatur, breui adeo tempore repurgata Thessalia est, & partim fugati, partim interempti sunt Vri, uerum dum studio rei equestris subinde multi capiuntur, paulatim numerus equitum creuit, & uires ferociam auxerunt. Tandem publico munere perfuncti, à Rege præmia poscunt, Rex pro facultatibus suis persoluit mercedem iuuenibus, sed ut in tanta turba parcius, quàm ut satisfaceret eorum animis. Porrò illis elatis uirium magnitudine, dum omnium explere libidinem Rex non potest, noua ratio imitur, unde luxuriam atq; ocium sustentent, ex agris undiq; prædas agunt & rapto uictitant. Id malum propemodum grauius adflixit Thessaliam, quàm antea Vri.

LVII.

FABVLA DE GALLO GALLINACEO.

Forte leuem pedibus uerrit dum gallus arenam,
Splendida deformi sub puluere gemma iacebat.
Quàm cum uidisset, Quid in isto stercore, dixit,
Candida gemma iaces rutilo pretiosior auro.

Lætior hoc nullus si te mercator haberet
Esset, ubi magno quondam te uenderet ære.
Ipse mihi longe malim contingere granum
Quo uescar, Nam gemma mihi quem præbeat usum?

LVIII.

RECTOR ACADEMIAE VVITtenbergensis scholasticis S. D.

Si qui scholastici in hac urbe sunt nondum professi apud Rectorem Academiæ, his præcipimus, ut primo quoq; tempore ad nos ueniant nomina edituri. Quod ut faciant, necessaria de causa postulatur. Nam neq; tutum est Rebusp. neq; honestum est quenquam sine certo magistratu in aliqua urbe uersari. Si quis autem hac ratione nihil mouetur, ac Cyclopum more sine legibus, sine magistratu uiuere decreuerit, is sciat tamen magistratus non defuturos Reipub. si contemni authoritatem nostram comperiemus. Nonnulli etiam modo uidentur liberius ludere, tum in plateis, tum in alijs publicis locis, ueluti omnibus legum uinculis excußis. Et ea licentia semel atq; iterum periculosos tumultus peperit. Quare duximus admonendos esse scholasticos, ne contemnant legem ab Illustriß. Saxoniæ principibus latam ad conseruandam urbis tranquillitatem, quæ prohibet arma gerere, uetat nocturnas concursationes ac tumultus omnes. Non dubito autem, quin bonos ac studiosos ab his inciuilibus ac barbaris moribus doctrina absterreat, quæ de omnibus uirtutis officijs, si usquam aliâs, hic profecto diligentißime

tißime atq; copiosißime traditur. Nihil enim efficacius mouet animos ad colendam uirtutem, quàm perfecta uirtutis cognicio. Sed hæc præcepta plus ualere debent, postquam ad ea principis uoluntas accedit. Monemus itaq; omnes scholasticos, ut modestiam eam, quàm leges flagitant, diligenter præstent, præsertim in publicis locis atq; conuentibus, nec interturbent choreas ciuium, aut alios locos.

LIX.

RECTOR ACADEMIAE VVittenbergensis.

Sæpe admoniti sunt scholastici cum in edictis publicis tum alibi de modestia præstanda in gestu & uestitu. Sed quidam uidentur non solum leges nostras, sed etiam omnia iudicia bonorum uirorum ac suorum etiam parentum contemnere ac ridere. Et cum magno dolore animaduertimus paulatim crescere petulantiam in omni genere, atq; unà confirmari religionis, legum, & omnium honestorum officiorum contemptũ. Si hanc disciplinam afferent olim ad rempub. quales sint futuri ciues, facile existimari potest. Et hæc ipsa ἀδιατρεψία iuuentutis non minus certum prodigium est impendentis alicuius publicæ calamitatis, quàm illa signa, quæ Physici colligunt. Neq; uero dubium est, Deo displicere hanc licentiam iuuentutis, cum iusserit eam ætatem parere iudicio atq; authoritati superiorum. Quare nos non possumus hæc uitia dißimulare bona conscientia. Nec dubitent adolescentes, si ali-

quando daturos esse pœnas Deo, si nobis recta monentibus non uolent obtemperare. Mandamus igitur, ut præstent modestiam in omni actione, idq; faciant etiam propter gloriam Christi, quàm honestis exemplis certe debent ornare. Est etiam ad nos allata querela de choreis, in quibus nonnulli in gyrum circumducunt puellas non sine periculo. Pertinet & ludus chorearũ ad disciplinam, & ad discendam reuerentiam, et quædam humanitatis officia. Quare abesse barbariem & inconcinnos mores ab hac honesta Musica oportet. Ideo gyros illos prohibemus in choreis, ac sciant scholastici hanc rem uniuerso senatui Academiæ curæ futuram esse, qui eam seuere executurus est, Bene Valete.

LX.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis.

Edidit Simon Lemnius maledicos uersus plenos mendaciorum & ueneni, in quibus partim eos, qui præsunt, sediciose & falso criminatur, partim alios afficit iniuria. Quare publico aresto ei mandatum est, ne discederet, sed ueniret postridie Pentecostes ad Senatum Academiæ. Ille autem uiolata religione iurisiurandi discessit, nec uenit ad Rectorem & cæteros conuocatos. Ideo decretum est, ut rursus publice ad iudices uocetur. Quare nos ex officio citamus hunc ipsum Simonem Lemnium his publicis literis, primo, secundo & tertio, ac peremptorie, ut compareat proxima

xima die 18. Iunij hora 12. coram nobis & Rectore Academiæ Vitebergensis, & assessoribus, ut res agatur, & ipse audiat sententiam iudicum. Porrò siue aderit, siue non aderit, in causa procedetur, ut iustum est. Vtinam studiosi dent operam, ut Musæ seruiant gloriæ Dei & utilitati publicæ. Ideo enim impertit Deus hominibus literas & artes. Sed qui tantum ad nocendum abutuntur ingenijs, hos agitant non Musæ, sed Erynnes. Tales odisse & detestari omnes boni debent. Datæ Vitebergæ die Iunij undecima Anno M. D. XXXVIII.

LXI.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis.

Editus est hic ante paucos dies libellus nomine Simonis Lemnij plenus maledicorum uersuum, quibus multi omnium ordinum graui & intollerabili afficiuntur iniuria, Ideo ei publico aresto per nos interdictum est, ne hinc discederet priusquam causam apud senatum Academiæ dixisset. Quare publice proposito ad ualuas Ecclesiæ parochialis edicto peremptorie à nobis citatus est, ut ei constitutus terminus ueniendi in iudicium dies Iunij XVIII. ad dicendam causam uel per se uel idoneum procuratorem sufficienter instructum coram nobis Rectore Academiæ Vitebergensis & nostris assessoribus in templo arcis adiecta

hac

hac comminatione, quod si neglecturus esset institutum terminum, iudicij, nec per se uel procuratorem compareret, nos processuros in ea causa, quantum de iure poßimus. Verum ipse non dubitauit authoritatem nostram contemnere, nec præfixo per citationem illi termino iudicij comparuit, neq; alium suo loco ad nos misit. Itaq; postquam accesßit contumacia ac delictum est notorium, denuo te Simon Lemni peremptorie ad audiendam sententiam his nostris literis citamus, & tibi terminum peremptorium aßignamus diem Iulij tertium proxime futurum post diem æditarum harum literarum, ut eo die hora 12. Pomeridiana in templum arcis huc mature uenias ad audiendum & uidendum te relegari ex nostra Vniuersitate, uel ad dicendum causas, quare id fieri non debeat, sciturus quod contra te ad sententiam processuri sumus, etiamsi ad constitutum terminum in loco destinato uenire neglexeris. In cuius testimonium præsentem hanc nostram citationem sigillo Vniuersitatis VVittembergensis, ut testata esset omnibus eius authoritas, consignari fecimus, Anno M. D. XXXVIII. die 12. Iunij VVittebergæ.

LXII.

RECTOR ACADEMIAE VVittenbergensis.

Edidit Simon Lemnius duos libellos Epigrammatum, ut ipse uocat, plenos mendatiorũ & ueneni, in quibus omnium ordinum homines iniuria et contume-

lia

lia afficit, cumq; ei mandatum esset, ne discederet, quia postridie ad iudices uocãdus erat, spreta religione iurisiurandi fugere maluit, quàm expectare iudicium. Itaq; postquam iterum publice citatus non redijt, neq; cuiquam dedit mandata de suo negocio, sententia aduersus eum lata est propter maledicos libellos, & desertam arestationem, ut perpetua relegatione ex hac schola sit eiectus. Hanc nostram sententiam publice extare uolumus, ut omnes detestẽtur exempla perfidiæ, periurij, & maledicentiæ. Nulla ullius officij societas cum ullis periuris cuiquam bono esse debet. Quia Deus haud dubie puniet periuros. Deinde ementitis conuicijs lædere bonorum famam, Scelus est, cuius authores legum uoce sunt infames, Turpiter abutuntur literis & Poetica, qui uel petulantia uel animi morbo mendacia comminiscuntur, qui hoc artificio risus uulgi captant. Musæ ingenuitatem, ueritatem, iusticiam amant, & conferri ad utilitatem communem & gloriam dei debent, & lepos magnum est ingenij & scripti decus, cum illo candido Mercurij sale constat, non cum uenena inspergunt. Non à Musis, sed à furijs agitantur, qui scurrilia & ementita conuicia dicunt in homines honestos, qualia paßim in suo libello sparsit Lemnius. Propter has causas grauißimas dignus est Lemnius, quem omnes boni oderint & execrentur. Hæc commemorata sunt non solum, ut extet sententia de Lemnij scelere, uerum etiam, ut cæteri uehementius detestentur periurium & maledicentiam, IIII. die Iulij. Anno M. D. XXXVIII.

VICE-

LXIII.

VICERECTOR ACADEMIAE scholasticis.

Pietas quædam est reuerenter sentire de ministris Euangelij & intelligere, quæ eis officia debeantur, eaq; libenter eis præstare propter ministerij dignitatem. Hæc præcipua causa est, propter quam morem offerendi munera ad aram conseruamus, ut adolescentes admoniti hoc uetutißimo ritu discant in omni uita magis amare & uenerari Euangelij ministros. Id enim officium Deo gratißimum est, ut sæpe testantur sacræ literæ. Quare omnibus scholasticis mandamus, ut hodie munera ad aram offerant, eaq; in re declarent suam gratitudinem erga ministros Ecclesiæ, qui nobis cælestia dona impertiunt, & cogitent id exemplum in commune prodesse. Nihil dulcius est moderatis ingenijs, quàm patria. Sed uera omnibus pijs patria est Ecclesia, sicut suauißime significat Psalmus, cum Dauid inquit, ut uolucribus nidus est tutißimus & dulcißimus receptus, ita sibi Ecclesiam esse gratißimũ domicilium, & addit, elegi potius in infimo loco esse in domo Dei, quàm in tabernaculis impiorum. Proinde decet nos omni officij genere assuefacere adolescentiam ad amandam atq; ornandam Ecclesiam, id est, publicum ministerium Euangelij.

LXIIII.

SINGVLARI FELICITATE INgenij ac suauitate & doctrina eximia praedito Ioanni Stigelio amico suo.

S. D. Quod elegantissimis uersibus tuis me & meos tam amanter ornas, gratissimum mihi esse scito, sed multo magis delector amore tuo, quàm laudibus meis. Deinde etiam Reipub. causa gaudeo & hanc faelicitatem ingenij tibi contigisse, et te tali esse uoluntate, ut ingenium libenter in materijs tam honestis exerceas, quae moribus & studijs prosunt. Macte igitur ista uirtute, perge mi Stigeli & tibi uerum decus parare & ornare Rempub. & tuo exemplo ad optima studia alios incitare. Dei beneficio reflorescere haec studia aliquantulum caeperunt. Haec ne subito extinguantur iterum publicis motibus uehementer metuo, Nec me ulla cura cogitantem de Repub. magis perturbat. Leuior est iactura omnium aliarum rerum, quàm literarum. Ideo ut semina bonarum artium superstint, gaudeo te & alios in has exercitationes incumbere. Habebis à me ἀντίδωρον. Bene Vale; Anno Domini 1537.

Philippus Melanthon.

In hac epistola P. M. respondet ad carmina Stigelij, quae scripsit Philippo 1537. in abitum & reditum ex patria.

LXV.

DOCTISSIMO IVVENI ET ELEgantissimo Poetae Ioanni Stigelio Iustus Ionas D. Rector scholae Vitebergensis.

Gratiam

Graciam & pacem in Christo. Legi eruditißimum carmen tuum, mi Stigeli, quod sub inicium mei magistratus non solum tuæ illius Musis consecratæ manus pictura ad me misisti, sed & nunc magnificæ immortalitati nostræ consulens edidisti in publicum. Equidem in uersibus eorum Poetarum, qui non facti, sed nati & diuinitus exorti, cælesti etiam afflatu scribunt dijudicandis non sumo mihi iudicium, & inter eos forsan numerandus sum, qui cum excellentium artificum opera, Apellis aut similium, non eruditißimis oculis inspiciunt, uulgari quodam sensu bona esse dicere possunt, cur tam bona sint, cernere aut dicere non possunt. At quamuis nec per ingenium, nec educationem, nec præceptorum ætate mea tunc florentiori diligentiam mihi tantum collatum sit, ut ad expendendas & introspiciendas penitus omnes absoluti alicuius Poematis uirtutes satis abstersos oculos habeam, tamen cũ tanto iam tempore in illis cum Philippo nostro colloquijs & deambulationibus (quas non cum Persarum regnis commutarem) uersatus sim, forsan ex consuetudine hominis eruditißimi non sum redditus indoctior, & qui toties officinas inuisere solitus sum magnorum artificum, de magnis & excellentibus operibus minus stulte iudico, ut interim taceam me singulari quodam naturæ ductu bene natis uersibus delectari. Natura enim á teneris inde unguiculis si non uniuersæ Poeticæ, partis tamen eius artis, id est, pictoriæ finxit studiosum & amantem, Quæ duæ artes ita dicuntur

inter

inter se esse affines & coniugatæ, ut alteram sine altera recte percipi negent.

Quod ad Elegos tuos attinet, qui mihi tam uiuide & exultanter, & miro quodam totius amicißimi animi tui motu nouum gratulantur magistratum, magnis uicißim laudibus hic ueherem cæleste hoc Poema tuum, quod laudant aliâs omnes eruditi, nisi uererer, quosdam morosos dicturos, me non tam docti carminis illius admiratione, quàm mearum laudum amore adductum illius Encomij profusi, aliam nouam profusiorem laudem canere. Sed dicam tamen, quod res est. Cum primum legerem uersus tuos elegantißimos, in mentem mihi uenit loci illius apud Quintilianum, ubi uir disertißimus maximum orbis terrarum ingenium & lumen ac miraculum illud Eloquentiæ latinæ Ciceronem, quanta omnino fieri poßit, nititur prædicare & extollere eloquentia, Cum se (inquit) contulisset ad imitationem Demosthenis, quia nosti cætera, plærasq; uirtutes ex se ipso extulit immortalis ingenij beatißima ubertas. Cum primum (inquam) legerem uersiculos tum ad me tum maxime illos aureos & dulcißimos ad Franciscum scriptos, & ipsum flumen elegantißimi scripti me auferret secum, nec desinere possem, cœpi ita tacitus cogitare apud memet. Hem tanta tam effusa laude hic Fabius oratorem principem à scriptis, quæ senex ubertate quadam naturæ adiutus elaborauit, prædicat, quid facturus esset, si hunc adolescentem Stigelium, cui tota adhuc meßis in herba est, sub pri-

nam lanuginem hoc tenerrimo ætatis flore, uicinio-rem adhuc puericiæ, quàm ætati iuuenili simile qua-dam uidisset diuinitate, non imitari solum ueterum ex-cellentium scriptorum & Poetarum scripta, sed & fæliciſsime nihil dilutius, nihil sterilius, aut siccius eo-dem succo, eadem ubertate referre, adeoq; plærasq; uirtutes ex se ipso promentem & efferentem, sic cer-tare cum ueteribus, ut uicisse sæpiſsime uersus Stigeli-ani ipsi diuinitus nati fateri cogant, uictum esse uix usq; poſsis dignoscere.

Sed redeo, imò cum à lectione auelli non poſsim, referor ed tuum carmen. Laudes illas exaggeratas & ampliſsimas amoris potius erga me tui errore, quàm ueri iudicij calculo mihi tribui nemo non uidet, Et ego quamuis longiſsime abſim à perfectiſsimo illo gradu sapientiæ, ubi Delphici oraculi authoritate ea primũ statuitur uera esse sapientia (ut ipsi nosmet non igno-remus) non tamen adeo mihi ignotus sum, ut illud lau-dum maximarum sonantiſsimum præconium, quod tu perfectam quandam Idæam summis alicuius uiri intu-ens, afflatu quodam Poetico effudisti, agnoscam. Ex-tenuas apud me tuas uires, & precaris mihi, ut contin-gat calamo Heſsi aut Philippi celebrari, Quasi uero tu meis laudibus ebuccinandis impar, aut parum di-nus Encomiastes contigeris. Ego uero me indignum tuo immortali carmine existimo, & non tam mihi, quàm literis & eruditis omnibus huius temporis gra-tulor, nostram quoq;, adeoq; huius tocius seculi fa-mam

mam apud posteros clariorem futuram, ubi audierint posteri, nos dispulsis prioribus tenebris in tanta luce eruditionis, & eruditorum, & cum eiusmodi uixisse ingenijs & uel Maronis tempori non aspernandis Poetis.

Gratularis scholæ meum magistratum, & totum populum facis sonore & alacriter applaudentem huic consulatui. Hæ tantæ & tam feruentes gratulationes debentur his, quorum fælix & sapiens gubernatio Reipub. ante saluti fuit, aut adhuc futura speratur. Ego Heroicis his uirtutibus non instructis, præter studium bene merendi de bonis, & uoluntatem propensam erga literas, erga uere doctos, hoc est, tui simillimos homines nihil adfero ad Rempub. hoc magistratu dignum. Tu quidem eiusmodi Rectorem & Principem scholæ, cuiusmodi ipse Plato non aspernetur in sua illa perfectißima politia, adumbras nobis hominem quendam excellenten natura factum ad dicendum, singulari prudentia præditum, & mire ualentem consilijs, cuius facundia insignis non domi tantum, sed longe gentium inclaruerit, cuius sermoni ita mira insit suauitas, ut tamen tantum grauitatis habeat, quantum ad sustinendum nomen, famamq; sapientiæ satis sit.

Eundem facis Theologum, qui incomparabili abundātia spiritus scripturas interprætari, Ecclesiasticū cætū diuinitus cōcionando, erudire et tenere poßit. Tribus eidē tantā suauitatē familiaris colloquij, quāta ipsi

Philippo uiro insigniter docto & eleganti, non iniucunda esse poßit. Ad haec eundem inter Philosophos non discipulum solum, non auditorem, sed ut ducem Philosophici gregis sub aliqua etiam, ni fallor, antiqua & eruditißima lauro ac platano aut Mariana quercu, quandiu latinae loquentur literae, uictura (ut ille inquit) aßidentem facis de rebus secundum ipsam doctrinam uerae religionis maximis, de tota Philosophia, de rerum causis, de motibus syderum, de uniuersa Oeconomia naturae, sic erudite & sapienter differentem, ut ipse unus detineat coetum, & ex illius unius ore dependeant caeteri. Statuis eundem curis pene adhuc ingentibus aegrum Reipub. repente inter medias Musas, in uallibus, ni fallor, Herni & ingenti ramorum contegis umbra, facisq; Poetam, quem uel Hessus ipse iure amet.

His omnibus uirtutibus sic accumulatis addis quasi bonum & sanum colorem elegantißimo corpori, tantam comitatem & humanitatem illius tui, optati forsan & non inimiciter cogitati Ionae, quanta humana mente concipi potest. Ad hanc sic à te non imperito artifice pictam & graphice expictam imaginem si quis me exigat, facile uideat quandam perfectam Ideam potius ueri & boni magistratus, quam Ionam depingi. Verum cum ipse in pentametro, quasi sentiens quo errore tui erga me amoris & calore scribendi prolapsus esses, subdas, Quamuis in laudes prodiga turba sumus, facile boni consulo, si beatiß. ingenij tui

ubertas

ubertas quasi ad rigandum prædiolum mei nominis exiguis riuulis ducta, ultra iustum profluens teneri non potuit, sibiq; uiam faciens totis campis spaciata per omnia late inundauit. Macte autem illius tuæ fælicitatis & diligentiæ esto, & ad excolendum tuum illud ingenium perge eiuscemodi edere aurei partus poemata, quibus studium & admiratio literarum & cognicio optimarum rerum conseruetur ad posteritatē.

Sæpe audiui ex D. Philippo se in omnibus his rebus humanis nulla re perinde delectari, atq; excellentium ingeniorum obsolutis operibus, & bene natis Poematis, ubi diligentiam & curam non modo adiuuet, sed & ita incitet, moueat, superetq; natura, ut ornatus omnis non fuco illius, sed natiuus color & forma uideatur. Et profecto quanto mediocres & quotidianæ illæ formæ fuco & arte coloratæ distant à formis liberalibus & honestis, quas non pixideculæ pinxerunt, sed ubi frontem, oculos, genas natura artificio immutabili produxit, & quemadmodum rubor & color florum uerorum occulta & mirabili ratione picturæ è terra prolatus, longe iucundior est quauis uarietate tincturæ, quàm manus artificis conetur efficere, Ita eorum Poetarum scripta, quorum uersus sic arte & diligentia elaborati sunt, ut naturæ tamen fælicitatem suo quodam spiritu uniuerso corpori poematis, uitam & halitum addere agnoscas, longe iucundiora sunt lectu, quàm eorum, qui ad carmen scribendum plurimum curæ & artis quasi cerussam, ad ornandam de-

formem faciem, naturæ parum aut nihil afferunt.

Sed finem faciam tandem uerbosæ Epistolæ, cui ignoscas. Cum enim carminis tui elegantißimum, & uere eruditum donum me digno unquam remunerare posse munere non spes esset hoc epistolio significationem dare uolui meæ erga te propensiß. & amicæ uoluntatis, Et nisi tibi de me & Iustulo Iona meo, quem in fine carminis addidisti, pollicearis semel omnia, quæ ab animo officiorum, ueræ amicitiæ, & beneuolentiæ non prorsus rudi proficisci omnino possunt, erras longe de nobis, & etiamsi notißimus tibi sim, nondum tamen ex hac parte adhuc nosti me satis. Saluta doctißimum & humanißimum uirum M. Facchum in hac clariß. schola eximium professorem, & bene meritum de tota Repub. ueteranum, Vale.

Mitto tiaram, utinam lauream possem debitam ingenio & uirtuti tuæ, boni consules exiguum Xeniolum, Anno Domini 1 5 3 7.

LXVI.

RECTOR ACADEMIAE VVITtenbergensis 1 5 3 7.

Multæ & graues sunt causæ, quæ nos mouent, ut hoc potißimum tempore adolescentiam ducamus admonendam sui officij, & Christianæ modestiæ. Primum enim satis scimus ita multorum animis obseruari Bachanalium licentiam, ut parum meminisse temporũ sibi uideantur, nisi solutißimis moribus stulticiæ populi & scenæ ebriosorum seruiant. Deinde non fugit nos eas esse talis indulgentiæ illecebras, ut inuitos etiam ad

impuritatem trahant, & per contagionem sæpe omnẽ uitam hominis semel inescari contaminent. Quare cũ scholæ debeant esse publicæ officinæ omnis honestatis, et modestiæ, hortamur studiosos omnes, ut licentiæ Bacchanaliũ hunc statuant esse modum, ne uel in congressu aliorum uel in suis commessationibus aliquid indignum liberalibus studijs aut Christianis moribus admittãt, sed ita in omni actione se componant, ut eorum modestia atq; uerecundia à nobis laudari poßit. Ferunt Scæuolam Iureconsultum, cum esset interrogatus, quid in ferijs agi liceret, respondisse, quod prætermissum noceret. Ita planè nobis quisq; credat, & in Bacchanalibus nõ esse id licitũ, quod stulticia existimet, sed quod honeste intermittere quis nõ posset. Requirit autem à nobis & nostra profeßio & reuerentia, quàm uerbo Dei debemus, ut cũ principes orbis Christiani sub iam indictam Synodum generalem in grauißimarum & maximarum rerum uersentur deliberationibus, neq; mediocribus curis exerceantur pro tota Ecclesia & Repu. nos quoq; geramus, ut publicis periculis moueri uideamur, & perpetua hæc uota nostra esse cernantur, ut gloria Euangelij Christi maxime promoueatur, nec ociosis animis nostro genio indulgentes, quasi semi somnes & securi naufragãtẽ Remp. in littore spectemus. Proinde pro officio magistratus hortor omnes scholasticos, ut pro se quisq; uideat, ne sua petulãtia per hos dies nobis præbeat occasiõnem seuerius in eũ animaduertendi. Nulla enim temporis licentia illũ excusabit, qui contra quàm studiosum deceat, sese geßisse deprehendatur.

DE-

LXVII.

DECANVS COLLEGII FACVLtatis artium lectoribus S. D.

Consuetudo Promotionum in Philosophia præcipue hoc consilio hactenus conseruata est, ut adolescentes se dederent Philosophiæ studijs, quorum uim etsi ineruditi non perspiciunt, tamen maximam esse ipso usu experimur. Nam ignari Philosophiæ de multis magnis rebus in uita admodum absurdas & perniciosas opiniones habent, & in superioribus artibus multo infelicius uersantur. Quid? quod alia nulla est ars efficiendæ illius moderationis atq; æquabilitatis, qua in rebus gerendis & perferendis & in omni uitæ consuetudine nihil est pulchrius aut suauius, quàm doctrina de natura rerum, & de causis ac fontibus omnium officiorum. Itaq; tantopere adolescentes ad hæc studia hortamur, & ut præparentur ingenia ad superiores disciplinas, ac multa dexterius iudicent, & ut maiorem animorum moderationem ad omnes uitæ casus & ad Rempub. afferant. Duxi igitur significandum esse ijs, qui hoc tempore gradum Magisterij petituri sint, me non defuturum esse eorum honori. Nam post nundinas Lipsicas instiuemus examen. Interea illi, qui gradum petituri sunt, me in habitatione mea, daturi nomina sua conueniant, 1537.

LXVIII.

DECANVS COLLEGII Facultatis artium.

Quod

Quod faustum, fælixq; sit, die Martis proxima publice de sententia collegij nostri decernetur gradus Magisterij his, quorum nomina adscripsimus. Rogo igitur, ut huius Academiæ Doctores, Magistri & scholastici sua frequentia Pompam promotionis ornent. Vsitatum officium est, & habet haud dubie graues & honestas causas. Hic gradus à nobis conseruatur. Quia prodest ad conseruanda studia Philosophiæ, quæ cum sint utilißima Reipub. & plena dignitatis, omni officio ad amorem Philosophiæ iuuentus inuitanda, atq; assuefacienda est. Magis autem amabunt & colent hæc studia adolescentes, cum probari ea uobis uestra præsentia declarabitis. Leuia uidentur esse hæc officia, sed tamen ad disciplinam & ad ordinis harmoniam & Rempub. pertinent, 12. Calend. Ianuarij, 1537.

LXIX.

IN NATALI DIE CHRISTI 36. Rector Academiæ VVittenbergensis scholasticis, S.

Sæpe admonuimus, quibus de causis hortemur adolescentes, ut ad aram certis diebus offerant sua munera, & declarent hoc officio se honorifice sentire de ministerio publico Euangelij in Ecclesia. Ac ualuisse admonitionem nostram apud multos honestos iuuenes gaudemus. Sed animaduertimus tamen hoc officium à multis alijs prætermitti. His duxi repetendas causas nostri consilij, quæ merito eos excitare debent, ut pu-

blicum morem & ipsi amare & conseruare studeant. PRIMVM, ut significationem reuerentiæ & gratitudinis exhibeant Euangelij ministris, diuinum mandatum est. Omnes enim conferre studium & sumptus ad conseruandum sanctißimum ministerium debemus. Ac Deus magna præmia pro hoc genere beneficiorum, quæ in sacerdotes conferuntur, pollicetur apud Malachiam & alibi. Pirtinet autem præcipue ad exemplũ, ut noster ordo hoc officio inuitet populum. DEINDE consuetudo Iuuenibus prodest, ut hac significatione admoniti atq; assuefacti semper in omni uita honorificentius sentiant de publico ministerio. Quidam hæc officia contemnunt, seu errore quodam, seu barbarie ac feritate morum. Hij sciant talem contemptum non solum indignum esse hominibus doctis, sed etiam Deo displicere. Deinde quæ est arrogantia seu peruersitas potius, cum alij honesti iuuenes sint in officio, fastidire communem morem, & malo exemplo contemptũ sacri ministerij uulgo confirmare? Christus laudat uiduam, quæ duos quadrantes in ærarium templi contulit, hoc est, nummulum nostratem unum & dimidium. Probat enim uoluntatem ornandi ministerij, quanquã munus sit exiguum. Ita in nobis probabit reuerentiam erga ministros Euangelij, etiamsi exiguum est, quod datur. Mandamus igitur, ut declarandæ reuerentiæ causa erga Euangelij ministros, singuli scholastici sua munera hodie ad aram afferant.

LXX.

RECTOR ACADEMIAE STVDIOSIS S.

Miserabili fato & casu hodie intra septimam et octauam nascentis diei horã extinctus est D. VVolfgangus Laurenti Suecus, uir ingenio, doctrina & uariarum rerum experientia pollens. Nam eximia cum laude diu functus est munere Secretarij apud potentissimum Regem Suetiæ. Et cum uere iudicaret plurimum conferre ad tractandas res policitas, uidisse multorum populorum mores & urbes, magnam partem Europæ aula relicta peruagatus est. Tandem propter doctrinam Euangelij ad nos etiam concesßit, & in omni genere humanitatis ita se annis plus octo apud nos gesßit, ut eius mortem merito doleamus. Dignus nanq; fuisset, qui post longam peregrinationem incolumis restitueretur patriæ, si fata id tulissent. Quare agnoscimus hoc officij nos debere pietati, qua credimus in Christo defunctum, post hanc uitam resurrecturum, eiusq; uirtuti, ut nostro conductu eius funus prosequamur. Fiet autem funus circa horam quartam. Itaq; hortamur studiosos omnes, ut sub id tempus frequentes ad ædes uiduæ Longæ Campianæ confluant, & funus nobiscum deducant.

LXXI.

PHILIPPVS MELANTHON AD scholasticos in renunciatione noui Rectoris.

Nuper audiuistis, quod faustũ fælixq; sit, renunciari Rectorẽ Illustrẽ principem Ioannem Ernestũ Saxoniæ

niæ Ducem Landgrauium Turingiæ & Marchionem Misniæ. Quare ut intelligerent omnes summam esse uoluntatem ipsius erga literas, nunc publice delatum honorē Illustris princeps accipere decreuit. Vt quisq; optimus princeps fuit & maxime salutaris humano generi, Ita hanc curam inter præcipuas duxit excitandi & ornandi studia literarum. Intelligebant enim quantum præsidium & ornamentum sit doctrina uitæ humanæ. Nam neq; religiones, neq; iusticia, in Imperijs, neq; humanitas in priuatis moribus, sine literis retineri possunt. Sed depulsis his studijs, necesse est contaminari religiones, existere Tyrannides in potentibus & infinitam barbariem in priuatis. Itaq; magnam laudem merentur Duces Saxoniæ, quorum hactenus fuit excellens in literis tuendis atq; iuuandis studium. Hæc domestica exempla hortantur & hunc Ducem Ioannem Ernestum, ut iam á teneris discat & intelligere, quod necessariæ sint Reipub. literæ, & eas honore afficere. Atq; optandum erat rebus humanis hanc opinionem instillatam & infixam esse omnibus principibus ab ineunte ætate.

AD Principem. Tibi itaq; Illustris princeps primum opto, ut Deus Opt. Max. te seruet & concedat tibi, ut patrium Ducatum fæliciter teneas & regas. Idq; mea uoce totus hic cætus Doctißimorum atq; optimorum uirorum Illustrißimo principi fratri tuo et tibi precatur. Deinde tibi gratias ago, quod suscepto hoc scholastico honore beneuolentiam tuam erga

studia declaras, teq; iterum, quod faustum, fælixq; sit, Rectorem huius Academiæ renuncio, ac tibi signa magistratus trado, & hæc nostra studia commendo. Erit enim tibi honorificum te quoq; sequentem laudatißima exempla maiorum tuorum amare & uenerari literarum studia. Meministi, quàm fuerim optimo principi patri tuo familiaris. Itaq; non dubito te paterni exempli admonere. Erant in eo cum aliæ uirtutes bono & moderato principe dignæ, tum eximia quædam reuerentia erga literas. Hunc ut fæliciter imiteris, tibi ex animo opto. Nam quo magis illum propter eximiam ipsius bonitatem amaui, eo & te magis amo, ac precor omnibus uotis, ut Christus te seruet & defendat. Postremo opto, ut auspicijs tuis hæc schola fæliciter gubernetur.

AD scholasticos. Vos quoq; scholasticos adhortor, ut cum uidetis principes uiros honorifice de studijs sentire, cogitetis uobis quoq; Reipub. causa magis amandas, & colendas esse literas. Plurimum enim Reipub. interest, qualis ad eam gubernandam doctrina afferatur. Et quoniam Princeps ipse scholasticũ magistratum gerit, ut testetur se honore afficere literas, uos quoq; diligentius obtemperate, ne & principem & literas contemnere uideamini. Vestra modestia etiam augebit in Principibus amorem erga honestas disciplinas.

LXXII.

DEI BENEFICIO IOANNES ERnestus Dux Saxoniæ, Rector VVittenbergensis.

Cum maiores nostri hanc scholam singulari consilio constituerunt, ego quoq; eam ornare pro uirili cupio. Nam me hæc ipsa exempla maiorum monent defensionem literarum ad amplißimos ordines pertinere. Quia sine literis, neq; religiones, neq; iusticia in Imperijs, neq; humanitas in priuatis moribus retineri possunt. Quare magistratum scholasticum mihi consilio senatus Academiæ delatum eò accepi non inuitus, ut significationem ostenderem meæ erga literas & hanc Academiam, beneuolentiæ. Curabimus autem hodie statuta Academiæ legi nobis præsentibus. Huic lectioni omnes magistros & scholasticos interesse uolumus. Nullum enim honestius atq; humanius officium est, quàm legum reuerentia. Quare decet uos ad eas audiendas libenter conuenire. Erit & mihi duplici nomine grata frequentia uestra, Tum quia intelligam uos authoritatem magistratus uestri non detrectare, Tum quia putabo uos etiam propter obseruantiam erga principes Saxoniæ maiore studio nobis morem gerere, Bene Valete. 29. Nouembris Anno Domini 1534.

LXXIII.

PRAEFATIO IN QVINTVM librum Ethicorum.

Deo uolente hodie hora prima incipiam iterum

enarrare quintum Ethicorum Aristotelis, propterea quod is libellus utilitate præstat cæteris & ut uidetur, etiam difficultate. Cras hora prima Sophoclis Antigonem incipiam interprætari. Adscriberem etiam adhortationem, si quid in tanta ingeniorm ferocia profecturam arbitrarer. Tantum igitur quibusdam melioribus, qui hactenus nos audierunt, gratias agendas duxi, quod suo officio ornarunt has literas. Eaq; in re iudico eos de Repub. bene & præclare meritos esse, cuius interest, ut conseruentur hæ artes. Conticescerent autem in hac quidem schola, & his gentibus, si nos prorsus desereremur. Itaq; auditoribus nostris Reip. nomine gratias hic publice agere uolui. Heu dolendam uicem literarum ac bonarum artium, quæ non solum iacent spretæ, sed etiam in odio sunt, & quidem apud illos ipsos, qui doctrinæ titulo se ad uulgus uenditant. Oro autem moderata ingenia propter Deum, ut Reipub. causa hæc studia diligentius colant. Nam Reipub. opus est linguarum & Eloquentiæ doctrina. Ad hæc ἠθικὴ & mores ad suauitatem traducit et ad maximas artes utiliss. præparat studiosos, si quos hæc ratio nō mouet, hoc saltem moueat quod propter Deum se rogari ad ista audienda intelligant. P. M.

LXXIIII.

PRAEFATIO IN ORATOREM & Dialecticam, P. M.

Intellexi plerosq; flagitare á me enarrationem librorū Ciceronis de Oratore ad Q. fratrem. Ego uero propter

propter Tyrones, qui recens aduenerunt, putaui in publica schola aliquam etiam partem temporis tribuendam esse Dialecticæ. Nam in scholis artes ipse inculcandæ sunt præcipue ac repetendæ. Quare ut haberem utrorumq; rationem, decreui, quod faustum, fælixq; sit, alternis Dialecticen & oratorem interpretari. Ita coniungemus duas artes cognatas, Dialecticen & Rhetoricen. Ac Cicero non solum nobis præcepta, sed etiam egregia exempla in hoc ipso libro utriusq; artis suppeditat. Sed illud adolescentes admoneo, ut sæpe aliâs, ut meminerint sine exercitio disputandi, dicendi, ac scribendi non plus se profecturos esse, quàm si audirent præcepta de pictura, nec adhiberent exercitium. Manus, inquit Anaxagoras, est causa sapientiæ, hoc est, usus atq; experientia. Tribuemus autem diem Lunæ Ciceroni, diem Martis Dialecticæ, quàm cras Deo uolente auspicabimur.

LXXV.

RECTOR ACADEMIAE.

Huius Academiæ leges & statuta hodie Hora 12. Publice in collegio de more recitari curabimus. Quare petimus, ut omnes scholastici ad eam recitationem conueniant. Hoc officij genus imperiti fortasse ducunt esse aspernandum. Sed bonos decet ita inducere animos omnia officia, quanquam in speciem leuia, quæ ad assuefaciendos ad legum reuerentiam animos pertinent, magni momenti esse, & uim habere maximam, cum in priuatis moribus, tum in Repub. Profe-

cto hæc est prima uirtus & aliarum omnium nutrix, honorifice sentire de legibus & authoritatem imperij ac magistratuum magnifacere & uereri. Ita demum boni uiri & ciues utiles Reipub. fieri poteritis, si hanc opinionem infixam animis tenebitis. Nam hæc ipsa ætas satis multa & grauia uidit exempla, quæ commonefacere homines possunt, quantum noceant prauæ opiniones, quæ excutiunt animis reuerentiam legum, & alunt contemptum disciplinæ. Verum est profecto, quod Poeta sapiens Sophocles inquit, ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν. Ideo summo studio assuefacite animos, ut honorifice de legibus & authoritate magistratuum sentiant, ut leges ament, & omnibus paruis & magnis officijs, tanquam res sacras & diuinas ornent ac tueantur.

LXXVI.

GRACIARUM ACTIO *authore P. M.*

Cum Præceptores nostri mandarint mihi, ut in hoc honestißimo cætu de more agam gratias, gaudeo mihi eas partes datas esse, in quibus officium magis, quàm Eloquentia spectatur. Spero enim uos pro uestra summa humanitate uoluntatem meam probaturos esse, etiamsi in oratione multum desiderabitis. Quanquam cuius est tantum flumen ingenij, tanta eloquentia, ut ea beneficia, quæ studiosi à bonis doctoribus accipiunt, pro dignitate prædicare atq; ornare poßit. Quæ enim beneficia maiora ac meliora conferre homines homini-

bus possunt, quàm hanc rectæ doctrinæ communicationem, qua tota uita continetur ac regitur, quàm habemus ducem ad uirtutem & ad immortalitatem. Itaq; semper optaui aliquam mihi occasionem dari significandæ meæ gratitudinis erga præceptores nostros, præsertim cum uiderem præcipue in hac schola summa fide, summaq; prudentia nobis optimas artes tradi, atq; inculcari. Cumq; hij mei collegæ testentur se ad eundem modum affectos esse, non solum de me, sed etiam de sua uoluntate à me dici uoluerunt. Etsi autem hæc commemoratio leuius est officium, quàm ut magnitudini meritorum uestrorum respondeat, tamen quoniam in ipsis auspicijs nostri honoris, & in hoc publico conuentu Deo & uobis testibus obligamus nos religione quadam ad habendam gratiam perpetuò, plurimum habere ponderis hæc commemoratio iudicanda est. Agnoscimus itaq; nos ijs beneficijs affectos esse, quibus cogitari nulla meliora possunt. Nullum enim maius est beneficium, quàm recte de maximis rebus, de religione, deq; omnibus uitæ officijs alios docere. Cumq; hæc bona uere Dei munera in terris esse statuamus, Deum uindicem ingratitudinis fore, siquis ingratus fuerit aduersus eos, quorum opera aditus ipsi patefactus est, ad has optimas ac diuinas artes. Quare pollicemur nos perpetuo uobis gratiam habituros esse, ac daturos operam, ut quocunq; officij genere poterimus, cumulate per occasionem referamus, DIXI.

LXXVII.

RECTOR ACADEMIAE VVittenbergensis.

Intelleximus his proximis mensibus aliquoties propositos esse libellos famosos, & ut singularis petulantia authorum animaduerti posset, uersus similes scripti sunt de honestißimis matronis & puellis Torgensibus. Plane autem animi morbum indicat, qui adeo delectatur hoc genere maledicentiæ, ut etiam debachetur in mulieres, quæ literas nesciunt, deinde quæ hic neminem læserunt, postremo quæ fuerunt hospitæ & interfuerunt sanctißimis ceremonijs nuptiarum. Certe hospicij iura & sexus, ac nuptiarum reuerentia debuit Momum illum, si quid humanitatis haberet, ab insano consilio deterrere. Statim secutum est simile exemplum ac indignius etiam. Insulsi Rythmi propositi sunt, in quibus unus ex Professoribus contumelia affectus, cuius & excellens ingenium, & doctrinæ uarietatem, & scribendi facilitatem, & mores magnopere probamus. Hæc contumelia aliqua ex parte ad Rempub. pertinet, Quia professor ille publicum munus sustinet magna cum laude. Si ipsius uirtutem author famosi libelli non uoluit reuereri, cogitare tamē debuit Academiæ parendum esse. Hæc exempla eò magis nobis displicent, quia noua sunt in hac schola. Et arbitramur paucißimos esse tam præposteris ingenijs, & tanta peruersitate naturæ, quibus uoluptati

ſit ita ex inſidijs furtim adoriri alios. Quid enim hæc res habet ingenuitatis, uirulenta conuicia dicere in bonos, ac ne aperte quidem congredi, nec tam latronum, quàm uiperarum more nocere? Merito leges iraſcuntur talibus lucifugis. Hæc enim ſunt uerba Legis, ſi quis famoſum libellum, ſiue domi, ſiue in publico, uel quocunq; in loco ignarus repererit, aut corrumpat priusquam alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Sin uero non ſtatim eaſdem chartulas uel corruperit uel igne conſumpſerit, ſed uim earum manifeſtauerit, ſciat ſe quaſi authorem huiuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubiugandum. Sciant igitur omnes ſcholaſtici nunc prohiberi authoritate legum & Rectoris, religione iuriſiurandi, omnes famoſos libellos. Quare authores famoſorum ſcriptorum metuant horribiles pœnas, quas Deus periuris minatur. Depræhenſos enim pronunciabimus uiolaſſe religionem iuriſiurandi, & puniemus ſeuere. Si qui uolunt alios reprehendere, congrediantur aperte, admoneant ciuiliter, exerceant ingenia conceßis modis, addant nomina ſua ſcriptis. Nam illa ingenij laus minima eſt, quæ maledicendo comparatur. Si uolunt ludere, ludant ſine contumelia aliorum, nec ſint ſales ueneno tincti. Nã exempla non ferenda in ciuitatibus iure conſtitutis, & pernicioſa moribus, dißimulare non uolumus. Et ſtudia Philoſophiæ uos ad humanitatem, ad pudorem, ad manſuetudinem inuitant. Quare minime omnium decet ſcholaſticos noſtros ac profeſſores, eiuſmodi rabi-

ßis & dentatis scriptis accendere & confirmare impudentiam. Illa certamina, de quibus in prouerbio dicitur, ὄφις ἢ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται, procul absunt á Philosophis. Atq; in hac re illud etiam ad cohibendos tales impetus hortari nos debet, quod Homerus inquit, Litem á paruis ortam ad immensum crescere. Quare ut habeatur ratio publicæ tranquillitatis, cauendum est, ne ex priuatis offensionibus aliquid dissidiorum in Repub. oriatur. Aurea est sententia Senecæ, quám animis infixam teneamus, & sequamur, Dum inter homines sumus, colamus humanitatem, non timori cuiquam, non periculo simus, detrimenta, iniurias, conuicia, uellicationes contemnamus, & magno animo breuia feramus incommoda, dum respicimus (quod aiunt), uersamusq; nos immortalitatis aderit.

LXXVIII.

QVAESTIO, VTRVM C. CAESAR sit iure interfectus.

Cum sæpenumero hic de laudibus optimarum artium dictum sit, in huiusmodi Pompis uisum est doctißimis præceptoribus nostris credo, ut leuarent tædium, ut ego controuersiam aliquam sumptam ex Philosophorum disputationibus agitarem, in qua studiosi adolescentes cernerent in hac Philosophia, quæ iuuentuti primum traditur, fontes uniuersæ doctrinæ de uirtute, de recte ac secus factis existere, & plurimum hinc transferri ad grauißimas causas in rebus publi-

cis. Quid autem honorificentius de artium laude dici aut cogitari potest, quàm quod contineant uirtutis doctrinam, & præparent homines & ad humanitatem & ad dijudicanda omnia officia. Vtinam autem, quemadmodum præceptores tædium nouitate argumenti leuare uoluerunt, Ita ego tanta facultate ad dicendum præditus essem, ut me sine molestia audire possetis. Sed quoniam honoris nostri causa huc uenistis uiri ornatißimi, illud etiam pro humanitate uestra facile à uobis impetrari patiemini, ut æquo animo me dicentem audiatis non solum, ut honori nostro, sed etiam ut his studijs, quorum hodie ornamur titulis fauere uos, omnes intelligant.

Est autem proposita mihi hæc controuersia, Iure ne C. Cæsar interfectus sit, de quo maximi ac sapientißimi uiri, cum res illæ gererentur, inter se dissenserunt. Nec ego sum tam ineptus, ut me quasi Areopagitam ac iudicem tam grauis controuersiæ faciam, sed pauca in utranq; partem colligam. Nam ut uideatur iniuste occisus esse, hæ rationes faciunt, quod magistratus diuino & humano iure sacrosancti & inuiolabiles sint, qui etiamsi quid peccant, tamen sedicio est arma aduersus eos sumere, quibus solis diuinitus arma tradita sunt. Nullum autem scelus seditione grauius est. Quia nihil perinde societatem humani generis dißipat, quàm sedicio. Cæsar etsi reprehendi potest, quod bellum ciuile mouerit, tamen postquam hoc fatali bello Respub. defuncta est, unus fuit Imperator, &

lege

lege creatus magistratus. Quare uis aduersus illum suscepta sedicio ac parricidium fuisse uidetur, præsertim cum sublato eo ἀναρχία futura erat, quæ profecto est infinita Tyrannis. Cum autem ἀναρχία eo extincto futura esset, facile intelligi potest, unum Cæsarē summum illius Imperij magistratum fuisse. Fuit ergo iniusta uis aduersus eum suscepta, atq; hæc sententia diuino iudicio comprobata est. Breui enim percussores omnes dederant pœnas parricidij, & amici Cæsaris iterum Repub. potiti sunt. Neq; hic dicam, quàm clementer ipse usus sit uictoria, quanta moderatione animi Rempub. collapsam bello ciuili restituere conatus sit, quàm legibus, iure, iudicijs fundauit atq; muniuit.

Sed breuis contrariam partem defendebat hac ratione, quod Tyrannos occidere iure naturæ concessum sit. Armat enim nos natura ad iniuriam prohibendam, & ad defensionem societatis humani generis. Hoc quidem recte & uere iudicatur, Tyrannos occidere licere. Nam quod obijciunt magistratus non esse uiolandos, nō ꝓpterea conceditur infinita licentia his, qui imperia tenēt, sed natura fines horū officiorū præscripsit. Quis enim reprehendat Harpagū, cū ei Astyages edendū filiū ꝓposuisset, quod immanißimi Tyranni facinus ultus est. Quantis laudibus ornatur Thrasybulus quod Triginta Tyrannos Athenis deleuit, qui arrogauerant sibi potestatem ciues indicta causa occidendi. Exercitus Romanus abrogauit Imperijs decemuiros, cum Appius uirginem ingenuam falso

iuris prætextu ad ſtuprum raperet, nec pater filiæ pudicitiam, niſi ea interfecta tueri poſſet, quis non iudicet decemuiris iure imperium abrogatum eſſe. Apud Heluetios præfectus Auſtriacus puero ſupra caput pomum poſuit pro ſcopo, & pueri patrem iußit telum ad hunc ſcopum iaculando dirigere, quod quidem ille fecit fæliciter, & pomum perculit illæſo filio. Sed hoc fecit ſapientius ac iuſtius, quod alterum telum direxit in Tyrannum. Conſulite enim intimos naturæ ſenſus, qui longe plus ualent ſcriptis legibus, Hij profecto iubent non ſolum à noſtro capite, ſed etiam ab alijs, quorum nobis tutelam natura commiſit iniuriam depellere. Itaq; præclare Traianus, qui de more gladium porrigebat præfecto prætorio, Hoc (inquit) gladio pro me utaris, ſi iuſta imperauero. Si autem iniuſta imperauero, me ferito. Tyrannus eſt autem non ſolum is, qui cum ſit in imperio, contra ius crudeliter ſæuit in ciues, aut qui priuatus bellum patriæ infert, ſed etiam is, qui ui & populari tumultu præſentem Reipub. ſtatum ac formam mutat. Iam Cæſar patriæ bellum intulerat, poſtea uictor etſi clemens erat & iudicijs ac legibus tranquillitatem Imperij munire ſtuderet, tamen ueterem Reipub. formam mutabat, & regio more imperabat in ea ciuitate, quæ iuraſſet ſe regnum non eſſe paſſuram. Quare ſentiebat Brutus iure Cæſarem interficiendum eſſe.

Cum autem multæ grauißimæ controuerſiæ hæreant in hac quæſtione de iure magiſtratus, & quatenus

tenus concessa sit aduersus magistratum defensio, de Tyrannide, de Anarchia, quarum rerum explicatio plurimum prodest ad recte atq; honeste uiuendi rationem peto, ut præceptor meus M. Milichius suscipiat hanc causam dijudicandum. Quod si faciet magnum beneficium addet ad illum cumulum suorum meritorum erga me, & haud dubie rem gratam omnibus scholasticis faciet, Finis.

LXXIX.

QVAESTIO PROPOSITA á Ioanne Reiffenstein, cum promouerentur Doctores Milichius, Christophorus & Fridericus Lor, P. M. authore.

Sæpe hic dictum est, quo consilio adhibeantur pueri in spectaculis promotionum, uidelicet, ut mirari hos gradus & suscipere & uenerari artes ipsas incipiant. Cum autem magis intelligat ætas nostra utilitatem Medicinæ, quám aliarum artium, & sæpe in nostris periculis præsenti medicorum ope iuuemur, æquũ est nos præcipue honori Medicorũ fauere & inseruire. Quare non inuitus suscepi has partes, ut publice meum studium & gratitudinem declararem erga professores honestißimæ artis. Homerus ait, uir medicus multis alijs præstantior unus. Nec leues causæ sunt, cur tantopere Medicos laudauerit Homerus. Nam ipsa naturæ cognitio, quám ars complectitur, pulcherrima est. Deinde tota ars comparata est ad beneficen-

tiam. Postremo ego hoc nomine magis amo Medicos, quia Philosophiæ possessionem maxime retinent. In alijs professionibus plæriq; leuius de Philosophia sentiunt. Propter has causas præcipue nobis duco amandos & colendos esse Medicos. Propono igitur quæstionē, utrum Astrologicæ obseruationes prosint Medicis ad iudicandos morbos & curandos. Primum enim uidetur Medicus non adiuuari astroligicis obseruationibus, Quia iudicia ei sumenda sunt à materia & à causis particularibus & propinquis, non à causis uniuersalibus & remotis. Et certe curatio requirit, ut remedia materialia adhibeamus ipsi. In his etiam multi periti Astrologiæ, qui tamen in iudicandis & curandis morbis non adhibuerunt Astrologum. Econtra primū Hippocratis sententia moueor, ut obseruationem astrorum prodesse medico existimem. Nam & Hippocrates ait sub caniculæ ortum periculosos esse medicationes. Et fuit magni nominis medicus Diocles, qui Astrologiam ad medicinam accommodauit. Et extant adhuc excerptum ex ipsius scriptis, in quo annotauit, qui aspectus quales morbos uel qualia symptomata pariant. Testatur & Galenus affici corpora animantium à lumine omnium Planetorum. Iam si constat aliquam uim esse Astrorum in mutandis corporum dispositionibus, sequitur obseruationem positus astrorum utilem esse medico. Sæpe enim causas uniuersalium mutationum in aëre, interdum & causas particularium mutationum in corpore certo prouidere potest, præsertim

cum

cum sæpe oriuntur morbi, præcipue ex caußis cælestibus. Doctißimus uir Ioannes Volmarus annotauit historiam de Mathematico Regis Hungariæ Matthiæ. Cum enim Rex subito, & graui morbo laboraret, nec Medici causam morbi inuenire possent, Mathematicus eos admonuit causam morbi esse Eclipsim, quæ fuisset in signo Horoscopi Regis, nec alium morbum esse, nisi cordis debilitatem ortam propter Eclipsim. Ideo hortatus est, ne alijs Medicinis uexarent corpus, sed tantum darent iuuantia cor. Huic consilio cum Medici obtemperassent, experti sunt curationem recte & fæliciter procedere & Rex breui conualuit. Existimo itaq; sæpe prodesse obseruationes Astrologicas. Ptolomeus cum alia quædam præcepta tradidit pro compertis, tum hoc quoq; addidit, non esse uenam secandam, cum Luna in signo est, quod illi membro dominatur. Vidimus exempla, quæ testabantur parum fælicem esse incisionem Venæ tactam eo tempore, cum Luna esset in signo, quod dominabatur illi membro. Possunt alia multa colligi, sed defero hanc quæstionem ad uirum Doctißimum uersatum etiam in Astronomia præceptorem meum D. Doctorem Milichium, ac rogo, ut aliquando nobis copiose hanc controuersiam explicet & dijudicet, DIXI.

LXXX.

RECTOR ACADEMIAE VItebergensis omnibus studiosis, S.

Heri

Heri deceßit è uita uir integerrimus, atq; doctißimus D. Magister Volmar ordinatus professor Mathematum in hac scola, cui hodie Hora 12. funus fiet. Quia uero in nostra Academia multis annis summa fide atq; doctrina præstantißimam Philosophiæ partem, quæ rationem motus corporum cælestium cōtinet, docuit, decet nos omnes eius uiri interitū lugere, præsertim cum hoc tempore nobis exemptus sit, quo & discentium & docentium ualde magna penuria existit. Quanta autem fide & doctrina has artes tradiderit, declarant discipulorum de ipso iudicia, qui ipsum uiuentem summa beneuolentia atq; obseruantia nō aliter, atq; parentem prosecuti sunt. Docuit autem has artes non ut aliquis ex uulgo, sed ut perfectus artifex. Vere enim hoc dicere possum, me qui in hoc studio etiam aliquantulum operæ collocaui, neminem adhuc audiuisse, qui in his disciplinis cum hoc uiro conferendus fuisset, & existimo uniuersam Germaniam hodie nullum habere huic parem. Quare nos omnes decet, non tam morte huius uiri, quàm Reipub. etiam calamitate affici. Pertinet enim, & hæc Philosophiæ pars, quemadmodum & cæteræ, ad Rempub. Cumq; sepulturæ officium adhuc restet extremum, quo grati animi erga præceptorem nostrum significationem aliquam ædere licet, uolumus ut omnes Academiæ huius alumni conueniant ad deducendum funus, & existiment id officij non tam publici moris causa se præstare, quàm etiam, ut declarent se ipsius uirtuti ac doctrinæ summum honorem

norem habere. Et omnes gentes religiose de funeribus senserunt, Quia iudicarunt hoc officio sensum reliquũ in mortuis esse, decet praecipue nos, qui in pietatis studijs uersamur, haec officia talibus uiris & praeceptoribus nostris, reuerenter ac religiose praestare, Valete.

LXXXI.

EPITAPHIVM.

Hoc tumulo placida defunctus morte Ioannes
Minguiciae gentis gloria summa cubat.
Qui generis titulos auxit uirtutis honore,
Quam semper summum credidit esse decus.
Ipsius in grauibus prudentia cognita rebus
Et mens consilio plena, fideq; fuit.
Eloquio flexit magnorum pectora regum,
Artibus & cunctis floruit ille togae.
Et pius ad patriae respexit commoda semper,
Atq; author dubio tempore pacis erat.
Quare difficiles aulae moderator habenas
Saxonici rexit, consiliumq; Ducis.
Ergo illum quamuis properantia fata tulerunt,
Virtutis durat gloria magna tamen.
Tu quoq; des ipsi caelestis gaudia uitae,
Quae petijt uotis Maxime Christe pijs.

Deceßit uir nobilis Iohannes de Minckwitz Eques auratus, Consiliarius Ducis Saxoniae Electoris &, Magister Curiae, Anno Domini M. D. XXXIIII.

LXXXII.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

Quod faustum & foelix sit, hodie hora 12. publice in auditorio Collegij prælegam leges & statuta huius Academiæ. Quare mando omnibus Magistris & scholasticis, ut ad eam recitationem conueniant, idq; tribuant legum dignitati. Est enim perspicua significatio bonæ mentis & naturæ, doctrinaq; ad uirtutem incitatæ, honorifice & reuerenter sentire, easq; colere & libenter ornare. Nam quas ob causas hæc eis officia debeantur, satis norunt hij, qui meminerunt legum præconia, quæ in scholis sæpe repetuntur, uidelicet, quod sint ordinationes factæ diuinitus & quidem sint quædam Dei sapientia lucens in hac hominum societate, & quod maximas utilitates ad uitam afferant, quod sint uincula societatis hominum & pacis publicæ & uirtutis doctrina. Nec uero dubito, quin cogitatio horum præconiorum magnam uim habeat in commonendis naturis non distortis, ut leges magis ament, & uereantur. Quare hoc præsertim tempore, postquam disciplina nimium laxata est, iterum diligenter inculcanda sunt iuuentuti, ut mediocria ingenia ad moderationem & modestiam, quantum possimus, reuocemus. Atq; utinam hij, qui tenent imperia, darent operam, ut restituerent collapsam disciplinam, & seuere adstringent. Nam nimia licentia parit magna uitia & exitiosa rebuspub. ut uere significauit Hesiodus, qui ait, Aten sociam esse Dysnomiæ, hoc est, dissolutioni

lutioni disciplinæ. Sic enim inquit, δυσνομίην ἀτλω τε συνήθεας ἀλλήλοισιν. Hortamur igitur adolescentes, ut discant uereri leges & regere mores diligentius, ne quid ipsis & Reipub. aliquando hæc ferocitas afferat incommodi. Leges etiam recitabimus, quarum authoritati sciant se eò debere religiosius obtemperare, Quia Deus contemptum legum seuere ulciscitur. Et rursus non alio officio magis delectatur, quàm obedientia. Sic enim inquit, Melior est obedientia, quàm uictima, 1536. LXXXIII.

DECANVS ARTIVM S.

Quidam ex studiosis cupiunt bene nauatæ suæ in literis operæ sub nostro Decanatu periculum facere, & experiri nostri Collegij de ipsorum eruditione iudicium pro suscipiendo Magisterij titulo. Pro more igitur scholæ nostræ duxi hoc publice significandum Philosophiæ studiosis, ut si qui essent alij, qui idem à nobis expeterent, hodie sua nomina apud me æderent, et animi sui uoluntatem nobis declararent. Atq; debent quidem talia examina non tantum propter maiorum institutum, sed & propter utilitatem magni à studiosis fieri. Nam ut nihil aliud inde consequuntur, qui ea subeunt, tamen hoc ad eos redit commodi, ut discant de suis studijs moderate sentire, & intelligant multa plura restare sibi discenda, quàm quæ didicerint. Est autem pestis uel maxima studiorum, sibi ipsi multa de se polliceri, nec agnoscere aliena iudicia. Nam

Examina prosunt ad modestiam.

talis

talis persuasio aufert discendi curam. Itaq; à maioribus nostris instituta sunt hæc examina, ut ista exploratione doctrinæ cura discendi in studiosis acueretur. Non igitur tituli tantum causa quod uulgus existimat, sed propter priuatum etiam commodum talia examina ambienda sunt studiosis, ut per ea assuefiant sua studia non ad stultam suam opinionem, sed doctorum iudicia conferre, nec sibi placeant, nisi alijs suam doctrinam probari sciant, Valete.

Examina quare ambienda.

LXXXIIII.

QVAESTIO PROPOSITA A Ioanne Reiffenstein, cum promoueretur Valentinus Anspach P. M. authore.

Quod in his publicis Pompis inter uiros grauißimos locus dicendi datur pueris, existimo singulari consilio, & magna aliqua causa institutum esse, & ut ego pro meo captu interpretor, uoluerunt homines prudentißimi nostram ætatem in tales cœtus honestissimos adducere, ut hæc graduum ornamenta, & ipsas artes uitæ utiles mirari disceremus. Quanquam igitur apud Homerum negat Telemachus decere, ut iuuenis seuiores interpellet, tamen cum non sumpserim mihi has partes meo consilio, sed iussus sim huc prodire, rogo ut mihi ueniam detis. Nam & ipsum Telemachum Pallas hortatur, ut ad Nestorem pergat, & se ei non defuturam esse pollicetur. Nobis uero adolescentibus authoritas publici moris pro diuina uoce

habenda

habenda est. Nihil enim nostræ ætati utilius aut honestius est, quám de publicis institutis reuerenter sentire, eisq; summo studio obtemperare. Duxi autem quæstionem proponendam esse aptam his temporibus de Synodo, præsertim cum á Iureconsultis huius negocij explicatio petenda sit, & nos quoq; á prima ætate propter studium religionis deceat uenerari authoritatem Synodorum & á doctis audire, quale & quàm sanctũ illud iudicium sit. Nam cum Ecclesiæ nomen plenum sit dignitatis, arbitror supremũ Ecclesiæ iudicium nõ facile reprehendendum esse. Quæro igitur, An in Synodo soli Episcopi habeant suffragationem, seu uocem decisiuam in cognitione doctrinæ, An uero etiam principes prophani. Magna & difficilis quæstio est, cuius tamen explicatione opus est, ut retineri doctrinæ Ecclesiasticæ puritas poßit. In Basiliensi Synodo conati sunt nonnulli arcere á suffragatine omnes, qui nõ essent Episcopi, sed uicit sententia, ut etiam sacerdotes, principum legati haberent ius ferendi suffragij. Vidi nuper Græce descriptam Synodum Ephesinam. In hac quoq; dixerunt sententias presbyteri, qui non fuerunt Episcopi. Sed argumenta sunt in utraq; parte non aspernanda. Requirimus igitur á uobis explicationem. Primum enim Christus uoluit summum esse iudicium Ecclesiæ, cum ait, Dic Ecclesiæ. Complectitur autem Christus in illis ipsis uerbis, Dic Ecclesiæ, non tantum Episcopos, sed etiam reliqua membra, uidelicet, omnium ordinum homines ad iudicandum idoneos, hoc est,

pios & eruditos principes, & alios. Iubet & Paulus cum quidem iudicia doctrinæ ordinat, ut omnes prophetent, & ut prior taceat, si fuerit sedenti reuelatum. Ergo in summo iudicio Ecclesiæ, quod est Synodus, dicent sententias & habebunt uoces decisiuas non tantū Episcopi, sed etiam principes, & alij eruditi, & pij. Ita & Constantinus subscripsit in Synodo Nicena. Et Martianus Imperator ait caussas fidei communes esse, quare & ipse cognitioni doctrinæ interfuturus sit. Sed contra hæc obijci potest primum consuetudo, quæ solis Episcopis, & fortaßis aliquando sacerdotibus concedit ius suffragandi, Laicos remouet ab his iudicijs. Deinde potestas Ecclesiastica habet mandata cognoscendæ doctrinæ. Ergo hæc cognitio nihil ad prophanos magistratus pertinet. Sunt enim destinata iudicia. Præterea in Deuteronomio scriptum est, ut ad sacerdotes deferantur quæstiones de rebus ambiguis. Sed quid si errent Episcopi, an necesse est horum iudicia sequi Laicos? Non opinor. Quia Paulus tantum uoluit esse scripturæ Apostolicæ authoritatem, ut etiam angelos diuersum docentes, tanquam ἀναθήματα execrandos esse censeat. Et uniuersale præceptum est, Attendite à Pseudoprophetis. Item, Oues meæ uocem meam audiunt. Iam, si non necesse est Episcopis auscultare male pronunciantibus, Ergo habent & reliqua membra Eccesiæ aliquam iudicandi potestatem. Hanc quæstionem ad te clarißime D. Doctor Valentine defero, & à te explicationem peto. Nam ego quidem

arbitror

arbitror Synodos sæpe præclare meritas esse de Ecclesia, & earum authoritatem non temere labefactandam esse statuo. Nam cum Paulus inter beneficia Christi, quæ habet Ecclesia, hæc quoq; numeret, quod spiritus sanctus in Ecclesia pastores & Doctores excitat. Res ostendit talium uirorum congressus sæpe profuisse. Nec tamen malorum Pontificum Tyrannidem confirmari uelim prætextu authoritatis Synodorum. Quare de Synodorum authoritate ita nos doceas, ut & iudicij summi dignitas retineatur, & tamen, quantum fieri potest, Tyrannis malorum reprimatur, Dixi 1536.

LXXXV.

GRATIARVM ACTIO D. Valentini Anspach Authore P. M.

Magnopere gaudeo aliquando mihi occasionem oblatam esse publice testificandi ac declarandi gratitudinem animi mei erga illos, quorum ingentibus in hac Academia beneficijs usi sumus. Nulla enim maiora beneficia homines impertire hominibus possunt, quám doctrinæ communicationem, præsertim de his summis rebus, de iure ac iusticia, quarum non solum summa est utilitas, sed etiã dignitas tanta, ut non alia sit in mente hominis imago Dei. Quare huius pulcherrimæ uirtutis doctrinã merito facimus plurimi, et summo studio colendã atq; ornandã esse ducimus. Deinde cũ summi

 mi

mi uiri in hac Academia non solum studia mea adiuuerint, sed etiam me optauerint in superiorem ordinem, & decreuerint mihi amplißimum honorem. Etsi enim doctrinæ communicatio magnum per sese beneficium est, tamen id cumulatum collatione honoris multo fit illustrius, propterea quod in hoc ordine Doctorum magna sit dignitas, & hic honos aditus sit ad rempub. Quare merito boni & prudentes uiri de hoc gradu honorifice sentire debent. Proinde Clarißimis uiris temporibus meis gratiam habeo, quantam maximam animo concipere possum. Et quanquàm hæc commemoratio uidetur esse leue officium, tamen quoniam fit in publico consessu, & in his auspicijs nostri honoris, plurimum debet habere ponderis. Vt enim hæc nostra auspicia opto fausta ac fælicia esse, ita polliceor me gratitudinem & pietatem debitam meis præceptoribus per omnem uitam præstare uelle. Huius promißionis uim maximam esse debere, satis intelligunt omnes boni uiri. Quare non dicam prolixius uel de magnitudine beneficiorum, uel de meo officio. Nam & iudicium meum & uoluntas in hac grauißima promißione facile conspici possunt. Ago itaq; gratias toto pectore primum Deo omnipotenti & domino nostro Iesu Christo, & rogo, ut sancto spiritu studia mea ad gloriam suam, ad Ecclesiæ & Reipub. utilitatem, & meam salutem gubernet. Deinde ago gratias Illustrißimo principi Duci Saxoniæ, cuius uirtute ad publicam utilitatem hæc schola defenditur, & precor

Deum,

Deum, ut ipsum principem ad communem utilitatem seruet. Ago etiam gratias Illustri principi Ioanni Ernesto Duci Saxoniæ. Postremo gratias ago Magnifico Domino Rectori Academiæ, generoso Comiti in Gleichen, omnium facultatum Doctoribus ac præcipue uiris ornatißimis Doctoribus uiris præceptoribus meis, quorum singulari fide & diligentia studia nostra adiuta sunt. Ago gratias etiam Venerabilibus hospitibus & magistris & nobilibus, ac cæteris scholasticis, qui sua frequentia testati sunt se honori nostro fauere, & uicißim omnibus mea officia defero, Dixi.

LXXXVI.

RECTOR ACADEMIAE VVittenbergensis.

Non est tutum quenquam in aliena ciuitate sine certo magistratu uersari. Ideo si qui scholastici nondum professi sunt suum nomen apud Rectorem Academiæ, postulo, ut ad me ueniant, & curent inter scholasticos sua nomina perscribi. Intelleximus etiam quosdam in choreis publicis sibi licentiam permittere quarundam ineptiarum, quæ non decent, & interdum periculum adferunt puellis saltantibus. Cum autem choreæ non debeant esse barbarici & turpes ludi, sed institutæ sint disciplinæ causa, ut honesta officia discant adolescentes fæmineo sexui exhibere, habent honestas causas choreæ. Quare non est permittendum, ut mos ad discplinam & humanitatem institutus deprauetur obscænitate & scurrilitate. Probibemus igitur inter

saltandum, in gyros circumduci puellas, ut fit á quibusdam. Prohibemus & alia immodesta exempla. Choreæ nomen habet á choris, qui constant non tantũ harmonia cantus, sed etiam gestuum & morum. Hæc harmonia non est perturbanda, sed mos honestus honeste colendus est. Si quis conara hoc edictum fecerit, in hunc seuere animaduertemus. Postremo petimus, ut memineritis scholam debere esse officinam & literarum & uirtutis. Et præcipue nos in Christiana schola decet præstare, ne propter mala exempla doctrina religionis male audiat. Ideo mandamus, ut in omni cõsuetudine uitæ modesti sitis, & tranquilli, 1536.

LXXXVII.

RECTOR ACADEMIAE VITEbergensis in die Pentecostes, 1536.

Exempli honestißimi causa retinemus morem offerendi aliquid ad aram certis diebus. Sunt enim assuefaciendi animi iuuentutis, ut sciant se cum alia officia, tum uero reuerentiam singularem debere Euangelij ministris. Nam contemptus ministrorum adfert & confirmat impietatem, & religionis contemptum & publice nocet in infinitum exemplo. Plurimum autem & reipub. interest dignitatem ministerij intelligi, quod inter cælestia munera, quæ diuinitus homini data sunt, præstantißimum est, quo amisso & animæ & respub. pereunt, sicut Salomon ait, Cum cessat prophecia, dißipatur populus. Cum igitur tam multæ sint causæ, quare ministros Euangelij uereri, amare, & defendere

ſendere debeamus, ſæpe eos commendat nobis ſcriptura. Paulus ait, duplici honore dignos eſſe, qui bene præſunt. Et Chriſtus præmia pollicetur his, qui tantum aquæ potum dederint. Et accepimus à maioribus utilem ſententiam & dignam memoria. Qui ſacerdotes contumelia afficiunt, his impendere exitum uitæ calamitoſum, Et huic ſententiæ reſpondent euentus. Ideo ueterem morem oblationum conſeruamus, ut admoneat ſcholaſticos, quæ officia debeant his qui gubernant Eccleſias. Mandamus igitur omnibus ſcholaſticis, ut munus de more ad aram offerant. Exiguum officium eſt, ſed exempli cauſa neceſſarium. Et debentur Eccleſiæ gubernatoribus multo maiora officia, præſertim bonis ac doctis uiris. Deus poſtulat, ut gratitudinem, quam ipſi Euangelio debemus, oſtendamus in colendis miniſtris. Et debemus ipſis, cum non ſolum laborem in diſcendo & docendo, ſed etiam pericula atq; odia pro Eccleſia ſuſtineant, & de humano genere nemo melius mereri poteſt, quàm idoneus Eccleſiæ Doctor.

LXXXVIII.

RECTOR ACADEMIAE VVitebergenſis.

Illuſtriſsimus Dux Saxoniæ Elector, princeps noſter clementiſsimus multis in rebus antea declarauit grauiſsimum iudicium ſuum de literis. Nam cum ſciat defenſionem Eccleſiæ, religionis, iuſticiæ, & cæterarum uirtutum diuinitus commiſſam eſſe ſummis ordinibus, iudicat ad Principes curam

conseruandarum & ornandarum literarum pertinere. Quia sine his non possunt retineri religiones, aut ulla ciuilia officia, & extinctis literarum studijs horribilem barbariem sequi necesse est. Quare hactenus Illustrißimus princeps summa uoluntate, & egregia munificentia hæc nostra studia propter utilitatem cōmunem Ecclesiæ & Reipub. defendit & adiuuit. Et ut optima eius uoluntas clarius perspici poßit, ac plurimorum studia inuitet, uniuersæ Academiæ quædam significaturus est, quæ ad communem utilitatem pertinent. Quare uoluit, ut omnes Doctores, Magistri, & scholastici, audituri sententiam ipsius in arce conueniant. Virtus ipsa digna est laude, quod propter utilitatem communem literarum conseruandarum curam Illustrißimus princeps suscipit, Nec deesse nostra officia optimæ uoluntati eius debent. Primum igitur præcamur, ut Deus honestißimum consilium eius adiuuet, & gubernet ad ornandam gloriam Christi, & ad communem salutem & tranquillitatem Ecclesiæ & Reipub. Deinde mandamus, ut omnes Doctores, Magistri, & scholastici in arce hodie hora octaua ad audiendam Illustrißimi principis sententiam conueniant post eam concionem, quæ in templo arcis mane de more habitur, 1534.

LXXXIX.

RECTOR ACADEMIAE VVITtenbergensis in die Paschæ, 1536.

Constitutum est à senatu nostræ Academiæ, ut

in

in ferijs Paschæ munusculum aliquod à singulis Professoribus & scholasticis publice & in templo ministris Ecclesiæ daretur, ut, cum nullus sit, qui non utatur sæpe illorum opera & laboribus, nos etiam aliquo modo nostram beneuolentiam erga eos, & gratitudinem testaremur. Idq; ut scirent ij, qui subinde noui adueniunt, & ij, qui iam antea affuerunt, eò facilius sibi reuocarent in animum, hoc publico scripto, ut solet fieri, indicare uoluimus. Quàm autem libenter omnes huic consuetudini parere debeamus, cum alia multa monent, tum hoc imprimis, quod ut in alijs rebus ingratitudo est turpis, ita in hac re non tantum turpißima, uerum etiam periculosißima. Deus enim, qui seuere præcipit Ecclesijs, ut alant & honore afficiant suos ministros, non poterit non grauiter in eos animaduertere, qui tantulũ etiam pecuniæ largiri hominibus tam bene de nobis quotidie merentibus recusabunt. Contrà quid uberius & splendidius promitti potuit, quàm quod obedientibus huic mandato diuino ipse Christus promittit, ubi ait, Qui accipit, si quem misero, me accipit. Meminisse etiam hoc debent studiosi, quod hæc sit uoluntas & sententia magistratuum huius scholæ, quorum authoritatem contemnere nefas est. Sed nihil opus est tam diligenter hoc exigere, cum neminem putemus tam dissolutum, qui non libenter etiam facturus sit monitus tantum in hac re suum officium. Vale.

XC.

LOCVS COMMVNIS, RES secundas moderate ferendas esse.

Est apud Sophoclem elegantissimus locus, qui nos merito ab insolentia animi, siquando res nobis fæliciter cadunt, inimicis autem male, retrahere debeat, ut cogitemus nos & secundis rebus submissos agere debere. Est autem locus eiusmodi. Vlysses uidet Aiacem inimicum suum furentem, & se inhonestissime pro insanorum hominum more dantem, interrogatus á Minerua, ecquid uoluptatis ex ea re percipiat, cum uideat inimicum suum tantis malis & calamitatibus conclusum ac impeditum, Respondet, nullum sibi eam rem uoluptatem adferre, quanquam suo hosti talia contingant, imò potius se terreri (tantum abesse, ut insolentius iusto se gerat) isto misero spectaculo & admoneri calamitatis humanæ ac inconstantiæ fortunæ, ut cogitet breui futurum, ut sibi uel idem periculum, uel grauius etiam impendeat. Ibi respondet Pallas, beatum eum iam esse, si sic perpetuo cogitet. Videbant scilicet prudentissimi homines inconstantiam fortunæ. Igitur rebus quantumq; florentibus, quantumq; secundis & prosperis, tamen moderationem quandam requirebant in animis hominum, Quam moderationem nulla res alia poterit efficere, quàm si mobilitatem & leuitatem fortunæ consideremus, cogitemusq; adeo non fidendum esse fortunæ, Adeo non superbiendum esse illa arridente, ut tum maxime omnium credamus esse falsuram, cũ amicissima iudicetur. Est enim, ut ille dixit, tantum constans in leuitate sua.

XCI.

DE MORIONE.

Morio fuit, non ex illo facetorum genere, sed cuius domini sordido opere usus erat, Ligna inferre popinæ solebat. Porrò cum è summa strue nullo negocio ligna moueri poßint, ille ex infima extrahere solebat, causam rogant familiares, Tum ille se laboris difficiliorem partem primum confecturum ait, superiora illa sua sponte trahentes sequi, hæc reuelli, nisi multo negocio non posse. Nec uidebat homo ridiculus, si summa sustulisset, uiam ad reliqua fieri, quo & ipsa pari facilitate prehenderentur. Idem solemus ferè in studijs difficillima primo loco tentare, cum nihil non sit facile futurum, si suo singula ordine aggrediare. ordine in studijs procedendum.

XCII.

DE ASINO MOLITORIS.

Ibat aquatum asinus, conscendensq; in nauiculam, eam in medium flumen impellit. Secundo flumine deferuntur in scopolum quendam, impacta nauicula fracta est, asinus in undis perijt. Vocat in ius molitorem nauta, quod illius asinus damnum dedisset, qui nauem à ripa impulisset. Contra molitor accusat nautã, se damnum potius accepisse, quod illius nauis cæpisset asinum, exceptum abduxisset. Delata res est ad Iureconsultos. Ibi uero ne in hunc usq; diem repertum, uter utri debeat.

XCIII.

DE LEONE ET ASINO.

Certabat de regno asinus cum leone, conuenit, ut decerneretur cursu, essetq; penes eum rerum summa, qui cursu uicisset. Spacium cursui describitur, ut à mola quadam mons proximus traijceretur. Nihil moratus leo à linea. Asinus quia sequi non poterat, ita procul à linea consistit. Vbi uero superauit montem Leo, deprehendit pascentem in ualle alium quendam asinum, quem quia putabat eum esse, qui cum pepigerat, dolet se uictum, neq; cessurus uidetur, nisi rediens eodem spacio rursus præuortat currendo. Placet conditio, & Leo maiora ui contendens ad metam, non procul à mora reperit asinum, qui cum primum pactus erat. Hic quia putabat se rursum ab asino uictum, cessit ei regnum, manetq; hactenus summa rerum penes asinos.

XCIIII.

DE CICADIS.

Cum Musæ se primum humanis rebus ostendere, cæperuntq; mortalium animos carmine demulcere, fuisse quosdam homines ferunt, qui earum audiendarū studio ita flagrarint, ut obliuio rerum omnium, cibi etiam, potusq; cæperit. Quos cum animaduertissent superi admiratione Musicæ adeo à rerum omnium sensu alienatos, miserti sortem eorum mutarant in cicadas, uocale & canorum genus.

XCV.

DE LEONE TYRANNO.

Parauit

Parauit Leo regio more conuiuium reliquis bestijs necata magna ui animantium omnis generis, quae huius est seuicia, iacebantq; sparsa paßim in specu cadauera semessa faeda tabo, nidor teter erat, qui e putri, corruptaq; materie ortus uniuersum specu complebat. Nam huius regis hae sunt deliciae. Venerunt ex officio ad conuiuium bestiae, in quibus ursus primum ingressus regem reuerenter salutat. Excipit hospitem Leo principio satis comiter, circumducitq; per regiam, apparatum, praeterea opes omnes suas, magnum aceruum cadauerum ostendit. Speculatum omnia, diligenter interrogat, Ecqui oleat regia? Cum ursus pro simplicitate sua respondit, id quod res erat, turpißime faetere. Ibi Leo interpraetatus hanc regio nomini contumeliam fieri contemni, quae ibi lautißime parasset, dilaniat ursum. Quod ubi cum patrasset, lupum admittit, salutat, circumducitq; per regiam non aliter, atq; paulo ante ursum. Tandem & ipsum rogat, Ecqui oleant haec? uiderat lupus miserabilem ursi necem, & iam olim saeuiciam regis compertum habens, consilium capit, quo uitam seruet incolumen, orationem apud se diu meditatur, reputans nihil tam dextre, nihil tam prudenter dici posse, quod calumniari Tyrannus non queat, Demum orditur praedicans bestiarum faelicitatem, quibus talis, tantusq; Rex post multiplicia eorum certamina, qui regnum ambierant, contigisset, recte fortunam ei donasse uictoriam, qui omni imperio maxime dignus esset, se nunquam aliena uoluntate ab

eorum consilio fuisse, qui rem in leonem inclinare uoluerunt. Sed eam esse siue sortem rerum, siue inuidiæ uim, ut gratis contigisse gloriam uideatur, si sine æmulo, sine discrimine obuenerit, & aduersis rebus dulcescere secundas, frui leonem præsentibus iubet, & moderatum imperium gerere, habiturum obnoxium omne genus animantũ, se uero unice testatur semper studuisse illi, cui tam multis dotibus ingenij coniunctus esset, rogat donare ueniam ijs, qui errore potius lapsi, quàm odio aduersati Leonis dignitati, cum regnum ambirent, fuerant. Hæc multis lupus, qua est uafricie ingenij, post & de præsenti apparatu magnifice locutus, iurauit non potuisse liberalius instrui, sordes Deorum accusare, quibus in sacrificijs nihil præter uilia illa animalcula, tauros & oues, mactetur. Leonem uero prædicare, qui tam uarijs quotidie epulis stomachi nauseam leuet, Reges quosdam hominũ insipido nonnunquam iusculo contentos, nescire se tum homines, tum reges esse. Leonem uero frui regno suo, qui tam laute se curet. Accedere ad hæc suauißimum quendam nidorem totius regiæ, qui Deorum thura & nulla nõ aromata uincat, neq; unquam gentium esse malle, quàm in talis regis famulicio, ubi coràm perpetuo detur hisce uoluptatibus perfrui. Delectari se hac rerum copia, sed multo magis facilitate & mansuetudine regis, dotibus uere Heroicis. Hæc illa longa oratione uix tandem recensuit. Res arguebat orationem hanc lupo metu extortam esse, neq; id non animaduertit Leo, ut cui

lupi

lupi uafricia & perfidia iam olim suspecta erat. Quare, excandescens impudentiam lupi taxat, qui tam aperte mentiatur, qui fallere regem, id quod capitale sit, nihil uereatur, expetiturum se ab eo tanti sceleris poenam. Vix hæc Leo, acceptum lupum discerpit, & inter aceruos cadauerum proijcit. Secuta lupum uulpes animaduertit ursi ac lupi casum. Excipitur autē á Leone, circumduciturq;. Tandem & hanc interrogat, Ecquid oleat regia? Tum illa pauca præfata de copia rerum plane regia, modeste locuta est. Cæterum de nidore iudicare non posse, qui multis iam mensibus á pituita laborarit. Leo quia accusare responsum non potuit, incolumen dimisit. Sic illa dißimulando sæuiciam Leonis euasit, quám antea nec cohercere uirtus, neq; placare blandiciæ poterant.

XCVI.

DE MATHEMATICO Erphurdensi.

Vere id accidit, utqui ad literarum studia rerum usum non adhibent, non modo literas infæliciter discant, sed pene obbrutescant etiam uidemus superioribus seculis Philosophos fuisse, qui cum in scholis tantum & tanq̃ in umbra de literis nugabantur, nec ferè unquam in lucem prodibant, ut in rebus gerendis suarum artiū periculū facerent, eorum, quæ didicerant &

uim

nim & usum ignorarint, ipsi sibi tanquam in alio mũdo esse uidebantur, quoties casus extra scholas ad res gerendas euocabat. Quare non fuerunt parum multi, qui literas penè obesse putarent gesturis respub. Et cũ Neoptolemus Ennianus paucis philosophandum iudicarit, alij senserunt uel attingere literas perniciosum esse. Neq; uero uideo, cur horum iudicium improbari debeat, quando & eò literæ docebantur, quæ ad communem uitam, formandosq; mores nihil conducunt, & ab omni rerum usu in scholas tanquam in carcerem includebatur iuuentus, ne ad hominum mores, uitamq; attemperare studia posset. Itaq; obstupuere ingenia, ut ne eas quidem artes adsequerentur, quæ sine uulgarium morum cognitione tractari possunt.

Fuit Erphurdiæ Mathematicus, is suorum commentarios ac dogmata magna cura, studioq; perdidicit. Cæterum quia rerum communium parum peritus erat, plæraq; sic tenebat, ut magica carmina nonnulli, quomodo cum rerum natura consentiant, quæ à Mathematicis tradita sunt, nihil ad se pertinere putabat, tantum officij sui esse iudicabat sententias tanquam oracula ediscere, eratq; legendi in homine studium, ut nemo in ea esset urbe, qui scientia eorum, quæ de Mathematicis scripta extant, anteiret. Mira uero, ut plærunq; indoctorum omnium, in homine superstitio erat, non mente casta, sed stultis & commenticijs ritibus colebat. Proinde cum accepisset Norinbergæ magnũ esse thesaurum sacrorum oßium, eumq; statis tempo-

ribus ostendi solere, simulq; pontificias illic condonationes uendi, instituit illò proficisci. Inuitabant & sacra monimenta, quæ magna uoluptas erat spectare, & condonationes, quibus expiaretur, quicquid unquam contraxisset culpæ aduersus superos statim consulit tabulas, uidet Noribergam paruo spacio, paucis punctis ab Erphurdia distare. Et cum paruo negocio ingentium bonorum cumulum emi posse cernit, adiungit se reliquis ciuibus illò profecturis, Auriga conducto iter ingreditur, uix millia passuum sex confecerat, cum aurigam interrogat, Ecquando cernat Noribergam? Miratur ille, quid sibi uelit Mathematicus, docetq; illò uix intra quatriduum peruenturos, antea & Hercinium iugum superandum esse, & emetiendam bonam Franciæ partem. Hic contra, proh Iupiter, tamne spaciosus est orbis terrarum? quam cum me fallunt odæporica Mathematicorum, ubi Noriberga uix transuersum digitum ab Erphurdia distat, Tametsi uideam uos neutiquam illò recta uia contendere, Age flecte equos, tam longinquo itineri sumptus nequaquam suppetit, Erphurdiam redeamus. Video nihil usquam mea me domo, Erphurdensiq; Cælia reperturum iucundius, O stultos mortales, quos tantopere peregrinatio delectat, Me nemo unquam extra hanc urbem, extra hæc moenia reperiet, etiamsi aureos montes polliceatur. Dimittit itaq; comites suos, rectaq; in urbem redit accusans aurigæ impericiam, qui rectam illinc uiam non nosset, quàm indicent Cosmographi, docetq; quantum

fuerit pericli, si paßim uagantem aurigam sequi uoluisset. Nonné similes huius uidentur, qui ex scholis ad res gerendas primum accedunu artes suas tanquam Lesbiam regulam sequentes, sed ex suo iudicio sapere reliquos omnes uolunt.

XCVII.
DE REGE GALLORVM ET QVOdam molitore.

Gallorum rex, cum uenatum profectus esset, obiter in molitorem quendam incidit, is præ se agebat asinum oneratum farinaquem cum crebrius uerberari animaduertisset rex, admiratus hominis inclementiam rogat, cur miserum pecus tam pertinaciter tundat, respondet molitor maturandum sibi esse, ne pluuia corrumpatur farina, quod animaduerterat fore, ut pluat. Rex ubi pluuiæ mentio facta est, ueritus ne frustra uenationem pararet, Mathematicum accersit. Nam ei generi multum tribuere solent Galli, Is nescio quas friuolas prædictiones adfert, quibus principi serenitatem pollicetur, Mouet non tam ratio, quám hominis authoritas, qui quia Philosophiæ peritus erat, & rerum causas, signaq; tenere uidebatur, non temere molitori præferebatur. Quis enim credat Apelli de coloribus libentius, quám sutori? Pergit itaq; rex, quorsum instituit plenus bonæ spei, ridensq; molitoris nugas. Nec procul á molitore in nemus uentum est, ibi obduci cæ-

lum

lum nubibus cœpit, minariq; pluuiam. Iam instructa ad uenatum omnia, retia pendebant à palis, dispositi, qui uenabulis exciperent occursantes feras, Molossi nemus explorant, nobilitas passim discurrit, ut pro se quisq; officio regem sibi demereatur. Ipse etiam Rex ex insidijs feras expectat, Interea large pluere cœpit. Vbi cum maderent retia, abdidissentq; se feræ in sua lustra, & cedere imber coegisset, Demum expectatione frustratus rex redijt. Tum demum Rex docuit, quàm uanæ, quàm stultæ sint Mathematicorum prædictiones, & dolorem suum de Mathematico rex ulciscitur, à quo falsus erat. Molitorem ad se uacat, interrogat, quæ secutus argumenta prædixerit pluuiam. Hæc illi præfatus, nihil esse certius tempestatum iudicijs, quæ in rure experimentis cognita, posterisq; tanquam per manus tradita esset à maioribus, obseruariq; non aliter ac gentilicia sacra, negabatq; ullam prædicendi artem esse, nisi quæ obseruatione eorum euentuum constat, quos ipsi obseruare soleant, Philosophos, quia explorare res maiore negocio piguit, commentos esse in scholis imposturas quasdam, quibus opulentiorum pecuniæ struant insidias. Deinde commemorat, quod præcipuum pluuiæ signum illo die fuerit, insecta præ reliquis animantibus præsentiscere, si quid mutet aër, adeoq; statim sibi latebras quærere, cum humor immodicus pluuiam minatur. Itaq; muscarum magnum examen asini culum uolatu petijsse, ut illò irreperent, seq; à tempestate defenderent,

nec abigi potuisse. Præsagiebant hæc, inquit, mihi certißimam pluuiam. Quod ubi Rex audiuit, miratus industriam plebicolæ, meliorem apud se retinuit, Mathematicum in pistrinum mittit, ut philosophari ibi primum discat, edid itq; Rex utile mortalibus exemplum, cum puniјt arrogantiam eius, qui quæ male didicerat, profiteri ausus est.

XCVIII.

PRAEFACIO IN PROMOtione Doctoratus.

Seruatur & hoc ex ueteri more, ut has Pompas aliquis è puerorum cætu oratione sua celebret & applaudat iјs, qui coronantur, ne scilicet nihil hic non puerile geratur. Quis enim mitris istis, ac titulis rectius applaudet, quàm pueri? Proinde quando in hoc conductus sum, propicias tineas precor mitris & titulis tales Encomiastas, quales alicubi audias. Fauemus enim & nos puerili quodam affectu his spectaculis, uidemurq; nuces nostras tractare, cum has mitras & thecas circumferri uidemus. Valeant itaq; Catones, qui gradibus parum æqui sunt. Ignorant enim dulce esse in loco desipere. Et ut satis fiat ueteri instituto, quæstionem candidatis Doctoralium ornamentorum propono, Ecquid ad Thologiam conferant studia literarum humanarum. Videmus enim hac de re nequaquam conuenire inter eruditos. PAVLVS certe cum philosophiæ studijs interdixit Christianis, uidetur à disciplinis prophanis arcere uoluisse. Rursum cum

pios uelit in eo operam ponere, ut linguis loquantur, non dubium est, quin Eloquentiæ studium probarit. Quanquam enim Theologia ipsa nihil nisi diuinus quidam afflatus sit, tamen ad eam nemo peruenire potest, nisi literas, quibus uerbum Dei conscriptum erat, ceu duces sequamur. Latent in his ueluti in sacrario quodam diuina mysteria, quas nisi cognouerimus, penetrare ad diuina nequaquam poßis. Fallitur autem quisquis putat se sermonis uim ac rationem adsecuturum esse, nisi multo dicendi, scribendiq; usu, & eloquentißimorum hominum imitatione loqui didicerit. Nam quod Fabius ait Eloquentiam nullam solidam esse, nisi multo stylo uires acceperit. Nos usu compe=rimus, ne mediocrem quidem loquendi facultatẽ quenquam consequi posse, nisi magno usu scribendi ac dicendi. Nunc uidemus quosdam ex ijs, qui sectantur Theologica studia, tam imperitos esse artium dicendi, ut nec sermonem sacrorum librorum intelligant, nec eloqui ullo modo queant, quod sentiant. Nam de moribus interim nihil dico. Hij si perrexerint ad eum modũ Theologicari, bone Deus, quæ monstra paulo post Ecclesiæ parient. Quod si superioribus seculis res Theologica collapsa est, quæ spes est staturam esse hoc seculo, nisi ijs artibus conseruetur, quibus restituta est. Neq; enim negari potest elegantiorem erudicionem adiumento fuisse quibusdam bonis uiris in restituenda re Theologica. Qualis quæso Theologus futurus est, qui sacrorum librorum sermonem non intellexit? An

hoc agimus, ut omißis iterum sacris libris ad quæstiones redeamus, & de uniuersalibus audiamus rixantem aliquem sophistam, cum interim mens sitiat uerbum Dei, quo aduersus omnem iniuriam Sathanæ muniatur. Quis non extreme impios esse iudicet eos, qui cum in sacris literis uersantur, non hoc agunt omni cõtentione, ut quàm rectißime sacrum sermonem intelligant, aut fallor ego, aut porcos istos significare uolebat in Euangelio Christus, cum uetabat margaritum suum porcis obijci. Neq; enim uerisimile est illum pro consilio sacros libros in manus accipere, quem piget ea discere, per quæ sacrorum librorum sermonem intelligat. Porrò, ut antea dixi, sermonis uim nemo adsequetur, nisi legendis elegantißimis scriptoribus. (Est enim nostris uerbis usus Deus) & multo stylo loqui didicerit. Proinde mihi quidem uidetur eloquentiæ studium multum conferre ad tractationem sacrarum literarũ, neq; separari unquam debere res natura cohærentes, uerborum ac rerum scientiam. Sed de hac re audiam, quid sentiant eruditi, ne diutius æquo uobis puerili oratione molestus sim.

XCIX.

PROFESSORES ACADEMIAE Ienensis studiosis salutem.

Hodie ducetur funus Vinariæ Illustrißimæ, & omni laude dignißimæ Principi ac Dominæ, Coniugi

Inclyti

Inclyti principis Electoris Iohannis Friderici Ducis Saxoniæ, quæ quoniam ornamentum fuit illustre atq; præclarum non modo laudatißimæ domus Saxoniæ, sed etiam ueræ EcclesiæChristi, statuere omnes boni debent, ad se pertinere considerationem immaturi obitus, incidentis in hæc tempora, quæ cum fato quodam calamitatum misere conflictantur. Notum enim est experientiæ testimonio, quotiescunq; in perturbatione rerum publicarum, è medio tolluntur homines illustres, pietate ac uirtute præstantes, sequi paulo post insignes rerum conuersiones. Decet itaq; nos tum eius memoriam grata mente persequi atq; celebrare, tum preces ad DEVM concipere atq; fundere, ne eius obitu aliquid detrimenti Respub. capiat. Ac illud quidem eius pietas atq; uirtus requirit à nobis, hoc uero postulat quædam communis necesßitas. Erat enim ut omnbus pijs contestatißimum est, thesauro puræ doctrinæ de filio DEI adeo præclare donata, atq; instructa, ut specimen fidei suæ, & ueræ inuocationis, multis præclaris testimonijs ediderit, quæ procul dubio à posteris celebrabuntur, & locos insignes sacrosanctæ scripturæ ita tenebat, ut quemcunq; uersum in Psalmis nominando inchoares, illa memoriter recensere integrum posset, significato & numero & loco.

Instituerat domesticam Ecclesiam, quam disciplina ita gubernauit, ut singulis diebus aut legere aliquid

aut canere cum familia soleret, quod ad gloriam Dei, & piam institutionem animorum pertineret. Erat re & uerbo pudoris amantißima, ut nec petulantiam in moribus ullam, nec sermones lasciuiores ferre posset, quæ duo utinam in multis aulis, hoc seculo minus pro delitijs haberentur. Qua tolerantia & castitate uicerit desiderium absentis in captiuitate coniugis, admiratione rari exempli non tantum his uicinis regionibus, sed etiam exteris nationibus innotuit, à quibus laus eius illustri fama celebratur. Meminerunt multi, eam sancte adfirmare, si daretur saltem facultas uidendi maritum liberatum & in patriam reuersum, se, ita Deo uolente, æquißimo animo è uita emigraturam esse. Superbiam odio prosequebatur, adeo, ut cum honoris causa splendidiore uestitu utendum esset, propemodum indignabunda studium ancillarum & exquisitiorem ornatum admitteret. Erogabat in pauperes quotannis maximam partem census sui, suaq; authoritate & intercesione efficiebat, ut in omnibus ciuitatibus, egeni subleuationem consequerentur. Ad DEVM orabat ardentißime pro auertendis à patria ærumnis & calamitatibus, nec dubium pijs esse debet, multa atrocia pericula, toti ciuitati huius prouinciæ impendentia, diuinitus translata atq; amota esse, eius precibus intercedentibus, parcente Deo morboso & ulceroso corpori miseræ multitudinis, ob integritatem sani capitis.

Tale decus cum nobis ereptum sit, iure dolemus,

mus, & ut nos exuſcitemus ad ueram pietatem, illius exemplum intueri, & grata memoria celebrare debemus. Petamus autem á Deo unanimi conſenſu, ut ſuæ Eccleſiæ conſtantißimum Heroem, Ducem Iohannem Fridericum Electorem, in his perturbationibus publicis, diu incolumen & ualentem conſeruet, ut habeat cœtus piorum exemplum conſolationis, quod in ærumnis intueatur. Bene Valete, 23. Februarij, Anno 1554.

EPITAPHIVM.

Nata loco excelſo, præſtanti nupta marito,
Edita Iuliacæ ſtirpe Sibylla domus.
Non generis tumui, non claræ nomine famæ,
Clara mea uere, ſed pietate fui.
Sincere didici, uiui de munere Chriſti,
Et docui ſobolem dogmata ſancta meam.
Caſta meum colui ſincera mente maritum,
Nomen ab ingenuo grande pudore tuli.
Cum meus ob Chriſti coniunx abductus amorem,
Hinc procul á patrijs exul abeſſet agris.
Pro patria auxilium, patriæq; parente petebam,
A ſolo pendens ſpeq; fideq; Deo.
Hoc mecum & ſoboles generoſa & cætera turba,
Miliciam mentis teſtificata meæ.
Hoc ſtudio uici diuturni tædia luſtri,
Dum mihi placato redditur ille Deo.
O uiuat patriæ, ueſtriq; Eccleſia nidis
Ille diu, ille animis ſuggerit arma pijs.

Vsuram placidis concessi moribus aeui
Ornaui, ingenuae simplicitatis amans.
Non mihi lingua Salax, non ulla calumnia cordi,
Omnis erat fastus res odiosa mihi.
Vt mihi mens recti diues, sic prompta uoluntas,
Pauperibusq; fuit semper aperta manus.
Saepe meis precibus Deus exoratus, ab ira
Impendens, alio iussit abire malum.
Nunc quoniam rerum res est ita uisa parenti,
Extremum clausi morte soluta diem.
Implantata Deo saluantis munere uerbi,
Corde uirens Christo planta fouente fui.
Nunc demum in morem palmae florebo superbae,
Pressa nece, in uitam quando superstes eo.
Hoc Deus est fidei, qua te mens Christe fatetur,
Sic mihi mors lucrum est, tu mihi Christe salus.

Ioan: Stigelius.

C.

PROFESSORES ACADEMIAE Ienensis, studiosis, S.

Fatemur nobis deesse uerba, quibus dolorem nostrum exprimamus in publica significatione obitus inclyti Principis, & confessoris uerae atq; inuiolatae doctrinae de filio Dei IOANNIS FRIDERI- Ducis Saxoniae Electoris, qui heri ex aerumnoso iactatione uitae huius, ad aeternam consuetudinem uitae caelestis euocatus est, Et tamen decet etiam nos, Eccle-

sie

siæ infantes, hoc ingens & incomparabile decus, quod in hoc organo selectißimo Deus lucere his extremis temporibus mundi uoluit, grata mente recordari, ut ab eius exemplo consolationem capere, & animos nostros ad fiduciam erga Deum, pacientiam, constantiam erigere atq; confirmare poßimus. Consideremus autem in tanto Heroe Ecclesiæ, quantum possumus, dum quantum uolumus, non adsequitur imbecillitas nostra. Amisimus enim uerè summum uirum, hominem quidem & peccato obnoxium, quod & ipse de se in ardenti inuocatione iam animam agens, Deo sincere cōfessus est, sed tamen si fiat collatio cum multis millibus, hominem amisimus summis lectißimisq; uirtutibus præditum, præcipue ea sapientia, quæ sola est sapientia nominanda, quám spiritus sanctus accendit in homine renato per uerbum Dei, ut statuat & firmiter credat, non esse aliam rationem, aut uiam, neq; in cælis, neq; in terris, per quám redire in gratiam & conciliari cum Deo poßit miser homo, quám gratuitam misericordiam per Christum promissam omnibus, qui pœnitentiā agant, & fide hoc beneficium in solo Christo adpræhendant, & aduersas ipsas inferorum portas in omni genere afflictionum tenacißime retineant. Hac sapientia illustratum, confirmatum, comprobatumq; Deo cū amiserimus, iusto dolore afficimur, non quidem ipsius causa, qui iampridem in regione uiuorum acquiescens beatißimus est, sed nostro nomine, qui in hac lachrymosa ualle tenebrarum & mortis, erepta tam illustri luce, relinquimur.

Erat in eo natura uerè Heroica, & præstans, ingenium perspicax atq; amplum, amor diligentiæ & studij singularis. Itaq; & legendi & cognoscendi, & uero etiam multa commentandi atq; scribendi ardore flagrabat, longe magis quàm usitate fieri solet ab ijs, qui excelso loco nati sunt, Cumq; incidisset eius gubernatio in ea tempora, quibus furor pontificius puram de Iustificatione hominis doctrinam, ferro & igne abolere iam palàm conabatur, existimauit princeps optimus non modo eruditorum iudicijs acquiescendum esse, sed sibi ipsi in causa conscientiæ fontes ueritatis perfecte cognoscendas esse statuit. Itaq; cum accersitis ad se Doctoribus Ecclesiæ, eo usq; communicauit sententias, donec de singulis articulis controuersiæ, ipse certior factus, de tota doctrina exacte rationem reddere posset.

Secutum est postea bellum, cuius causam fuisse ipsum nemo pius unquam adfirmare audebit, id quod posteritas, omnis inuidiæ atq; odij uacua, rectius iudicabit. Nec nunc quidquam declarandi locus est, cum in ore, & confesso sit ubiq; gentium, eum nulla alia causa adductum, quàm pietate erga patriam et Ecclesiam, defensionem suscepisse. In eo bello, iniquo Marte traditus uictori, ita se gessit, ut & Deo & legitimæ potestati, fidem atq; obedientiam inuiolate præstaret. Nã & patriam & facultates, coniugemq; ac liberos, corpus atq; uitam, non dubitauit extremo periculo exponere, ut gloria Deo per filium debita integre seruaretur

tur. Et agnouit Imperij dignitatem, eiq; ciuilem obedientiam, si quis alius, sincere præstitit. Quæ uirtus etiam uictori tanta uisa est, ut clementia motus, ultro eũ ex custodia dimittens in patriam restitueret.

Quod ad cæteras eius uirtutes attinet, similis sibi fuit in omni uiuendi ratione, natura bonus, uerax, castus, grauis, iuris & æqui obseruantißimus, nemini inuidens, nemini obtrectans, tolerans iniuriarum, quod uel eo liquido constat, quod totum quinquennium exilij & custodiæ suæ, ita placido atq; æquo animo sustinuit, ut nulla uox acerba, aut contumeliosa in aduersarios eius unquam ab eo audita sit.

Extremus uero uitæ actus pulcherrimum finem optime certato certamini imposuit. Nam & pientißimam coniugem morituram piè consolatus est, cum & ipse aliquamdiu ægrotasset, addens subinde, se breui subsecuturum, & in æde sacra locum sibi relinqui iußit ad latus coniugis, quasi post paucos dies, ut aiebat, ad Christum profecturo, & ex eo componens se animo & corpore ad emigrationem ex hac uita, ardenti inuocatione & fide expectauit liberationem. Ita confirmatus spe & fiducia, satur uitæ huius, et cupidus æternæ, acquiescens in gratia & pace per Christum adpræhensa, heri intra nonam & decimam ante meridiem, cum prius audisset ex grabato sacram concionem, ardenter inuocans Deum, æquißimo animo, & placidissima morte obdormiscens, in sinum Christi commigrauit, bonus dum uixit & princeps & pater, nutritor

Eccle-

Ecclesiæ & scholarum, confessor constans immotæ ueritatis diuinæ, nunc cum ijs, qui in Domino mortui sunt, uerè beatus, uicturus æternum cùm Christo & angelis & omnibus electis hæredibus regni cælestis.

Agamus itaq; gratias Deo, quod tali exitu ministri sui, ueritatem doctrinæ suæ confirmauit, & quoniam Dei bonitate, iusti colliguntur, ne uideant futura mala, conijciamus oculos atq; animos in præsentem perturbationem adflictißimæ Germaniæ, & discessum huius beati confessoris, ueluti seueram concionem de pœnitentia agnoscamus, Deumq; precemur, ut impendentes calamitates & pœnas benigne mitiget ac moderetur. Datæ 4. Martij, Anno salutis, 1554.

CI.

PROFESSORES ACADEMIAE Ienensis studiosis, Salutem.

Est sanè in speciem res tetra & horrenda, eos, qui in cœtu Deum uere agnoscentium hinc inde longe lateq; disperso, unanimi consensu ueram de Deo doctrinam retinent, ac profitentur, multo durius exerceri & ærumnis, magisq; expositos esse atq; obnoxios adflictionibus, quàm homines prophanos atq; impios, & ab agnitione Dei alienos. Sed eam consolationem habent pij, quod causas quare Ecclesia cruci sit subiecta, & intelligunt, & certo sciunt, ærumnas ac miserias huius uitæ, sibi abunde compensari liberatione per Christum, & donatione uitæ æternæ. Etsi igitur lu-

dant impij & cauillantur, aut etiam piorum conditionem, cum eos adfligi uident, Tamen effugere non possunt patrem familias, uniuersi generis humani, circumferentem calicem afflictionum, ex quo feces bibunt ipsi, posteaquam florem infusi laticis bibarunt pij, nomine quidem & specie triste ac miserabile uulgus, ut Poeta inquit, Re autem ipsa, cœtus ueré gloriosus in conspectu Dei. Manet enim immota ueritas dicti huius, quod spiritus sanctus in Psalmo protulit, sponsæ tuæ decus ab intus.

Hoc decus cum in domo & familia Inclyti principis IOANNIS FRIDERICI Nati Electoris Saxoniæ, quem pié defunctum honoris causa nominamus, hactenus floruerit, & floreat nunc quoq;, procul dubio singulari Dei consilio exercetur ea ipsa familia cruce & adflictione magis, quàm aliæ, ut sit uelut imago publice proposita, quæ & iram Dei monstret aduersus peccatum, & inuitet ad pœnitentiam, & testimonia proponat ueræ doctrinæ Euangelij, & immortalitatis animarum uitæq; æternæ. Hac ratione cum superiori tempore factum sit, ut parentes patriæ amiserimus, quoq; ita uisum est Deo, ut eos non longo interuallo sequeretur coniunx laudatißima, Illustrissimi principis, Domini IOHANNIS FRIDERICI secundi, quæ heri hora Octaua, ante meridiem, post conflictationem morbi, quo hactenus laborauit,

fide & inuocatione in Christum acquiescens, placide ex hac uita excessit. Constat sanè & notum est publice, hoc coniugium eo consilio, eo fine constitutum esse, quæ sint Deo probatissima, quæq; bene precantium uotis late celebrata esse, omnes nouimus.

Proinde cum omnes boni facile intelligant, quo in luctu sit optimus princeps, orbatus maritus, ob immaturam mortem coniugis, quàm syncere & pie amabat, decet nos, qui literarum studia optimorum principum hospicio, colimus, & orbati mariti uicem ex animo dolore, & ostendere tum ipsi, tum eius fratribus nos uere affici, ipsorum luctu ac dolore. Et huius quidem adfectionis atq; officij nostri debitam rationem, à nobis exigit optimorum principum pietas & uirtus, quos uidemus nihil omittere, quod ad conseruationem Ecclesiæ & scolarum pertinet. Postulat à nobis idem quoq;, & quasi suo iure flagitat, integritas & uirtus ipsius Dominæ, cuius mortem lugemus, quæ erat & animo ingenuo ac recto, & prædito luce quadam excellenti intelligentiæ, ac iudicij non uulgaris, Ideo amabat & pietatem & uirtutem, atq; hæc ipsa studia, in quibus uersamur, re & uerbo, quantum poterat, cum commendabat, tum etiam iuuabat. Eratq; omnino talis, ut eam uirtutis nomine omnis Ciuitas ditionum huius tractus Germaniæ celebrauerit. Hoc decus ereptum huic prouinciæ, luctu prosequamur, & simul oremus Deum, ut dolorem mitiget coniugi Orphano, & Illustrissimis fratribus, qui societate dolo-

ris huius adficiuntur, eosq; regat ac tegat suo spiritu, & si quæ restant his regionibus ærumnæ & calamitates, quas tot prodigia ac ostenta comminari uidentur, clementer à uobis auertat, Bene Valete. V. Nouemb. Anno salutis M. D. L V.

CII.

STVDIOSIS PHILOSOPHIAE S.

Non est dubium, eum, qui Argonautarum fabulam commentus est, humanæ uitæ imaginem adumbrare uoluisse, ut homines intelligerent, hanc uitam esse iactationem continuis laboribus et ærumnis occupatam, quæ uirtute sint superanda. Nos autem & nauigationem nostram & portum nobis ostensum rectius agnoscere decet, quibus cursus tenendus est, non ad claram illam Arcton, quàm obseruant Phœnices in alto, sed ad normam doctrinæ cælestis, qua se Deus nobis patefecit misso filio, in quo & agnosci uult & celebrari, & in uitam æternam transuehi omnes, qui credunt in ipsum. Quod cum ita sit lætemur, nobis perspicue lucere Cynosuram uerbi diuini, & in nostra Argo nobiscum esse ducem nauigationis nostræ filium Dei, & ad eius nutum, animos nostros, operas, & labores dirigamus. Deniq; gratias agamus, quod nos tegat præsidio pientißimorum Ducum Saxoniæ, quibus hoc munus uoluit esse gentilicium, ut ueritatem doctrinæ cælestis pure, integreq; propagari ac conseruari studeant. Etsi autem oborta nuper tempestate, nobis procellæ quædã periculum comminatæ sunt, tamen præsentia nauarchi

nostri, qui Noham quoq; medijs gestauit in undis, confirmati, urgeamus nostra studia, & speremus cursum fæliciorem. Ego ut meo loco hactenus feci, sedulo adiuuans discentium studia pro uiribus, Ita deinceps officio meo ad rei literariæ profectum, Deo duce non deero. Et cum hoc tempore quorundam negociorum causa, una & altera lectio nobis intermittenda sit, æquo animo ferant studiosi, quod neceßitati est dandum, & interim dicendi facultatem imitatione Ciceroniana diligenter exerceant. Finita oratione pro Murena statim inchoabo commentarium de Anima. Breui autem futura spero, ut Physica & Ethica studia ad uberiora exercitia fæliciter reuocentur, Bene Valete, Datæ Ienæ 27. Ianuarij, Anno salutis L X I I.

Iohannes Stigelius.

Reuersus ex itinere Lipsico 5. Februarij, pridie post ægrotare cæpit, ac morbo isto lethali aggrauescente, tandem die Februarij 11. diem suum obijt, ac quadrante post horam uespertinam 10. pie in domino obdormiuit, Anno ætatis immaturæ 46.

CIII.

RECTOR ACADEMIAE IENENsis MATTHIAS COLERVS, I. V. Doctor studiosis S. D.

Quod apud Pindarum Adrastus de Amphiarao uate inquit, Desidero te oculum mei exercitus, qui eras utrunq; & uates bonus & bellator fortis, id nos multo

multo uerius usurpare possumus de extincto Iohanne Stigelio uiro omni laude pietatis, doctrinæ, uirtutis, & eloquentiæ clarißimo ac Poetarum huius seculi principe. Desideramus te Stigeli oculum nostri exercitus, qui eras utrunq; & uates bonus & bellator fortis. Tanto autem iustiores causas huius querelæ habemus, quanto Stigelius fuit, & uates & bellator Amphiarao præstantior, & quanto grauius uulnus schola nostra ex eius interitu accepit, quam passus est Argiuus ille exercitus, cum inter cæteros duces etiam Amphiaraum in agro Thebano amisisset. Vates fuit Stigelius non afflatus Enthusiasmo fanatico, sed agitatus spiritus sancti numine, quod in ipso habitasse multa ipsius sanctißima poemata testãtur, quæ non tam ipsi, quàm toti Germaniæ egregium decus pepererunt. Vel unus Propheta Iocl, quem ante paucos annos paraphrasticè ad numeros redegit, documento est, quantum fuerit in hoc Poeta, ueræ pietatis studium. Et editurus erat Psalmos non paucos superiore anno uersibus elegantißimis á se expressos, nisi præmatura morte labor ille utilißimus esset interceptus. Sed quænam fuit illa milicia, in qua fortis bellatoris munere functus est? Adducit Athenæus de Posidippi quadam Comædia uersus, qui affirmant nauigantium conditionem omnium esse periculosißimam, & difficiliorem singulari certamine,

ὁ μὴ πεπλευκὼς οὐδὲν ἑώρακεν κακὸν
τῶν μονο μαχούντων ἐσμὲν ἀθλιώτεροι.

Sed profecto quouis & castrensi labore, & nauigationis periculo nihilo mitior est eorum conditio, qui docendo & consulendo gubernant Academias præsertim, si ipsis prima scholarum fundamenta iacienda sunt, aut experiundæ præter cæteras molestias intestinæ distractiones, quales aliquandiu hanc Academiam satis duriter exercuerunt. Vt autem Stigelius fuit inter primos Professores, quorum opera schola nascens fæliciter usa est, & propterea ut solent initia plus habere impedimentorum, multos magnos labores sustinuit, Ita in dißidiorum Euripum unà nobiscum incidit. Hic uere fuit bellator fortis, dum nutantem scholam, non deseruit, sed quibus omnino potuit fulcris excepit, nihil prætermittens, quo sperauit fathiscentem eius cymbam à submersione posse uindicari. Adhibuit hanc ad rem non modo docendi laborem, sed etiam eximiam prudentiam cum multis magnis uirtutibus coniunctã. Omnium autem illustrißimum specimen fortis bellatoris in extremo agone edidit. Ibi enim ardenti fide, qua constanter filium Dei τὸν ἐκ τοῦ θανάτου λυτήριον intuebatur mortem & Diabolum superauit, ac edita confeßione plena pietatis placidißime deceßit, ita ut non tam animam exhalanti, quàm suauiter obdormiscenti esset similis. Hoc igitur tanto uiro amisso, quid aliud, quàm oculum scholastici nostri exercitus amisimus? Et quanquam cum ipso optime actum, quem cõstat multis sæuißimis malis impendentibus præreptum nunc in cælesti Academia frui complexu filij Dei, ad

quem

quem crebro sua poemata & supremum spiritum direxit, Tamen nobis merito acerbißimum luctum affert ipsius obitus, qui præterquam quod scholam ipsius saluberrima opera priuat, haud obscure iram Dei nobis denunciat. Orbati sumus breui temporis interuallo aliquot clarißimis Professoribus, quorum fama per totum orbem terrarum uolitat, & nunc is à nostro latere abducitur, cuius merita in hanc scholam summa extiterunt, ac quod uel maxime nos perturbat, incidit eius obitus ferè in illud tempus, quo primum hic docere cæpit, siquidem 19. die Martij ante omnes 14. profitentis ipsius uox primum in hoc collegio exaudita est. Abripitur etiam ætate adhuc satis uegeta, cuius ratione multo diutius uiuere potuisset. Deniq; eo tempore nos destituit, quo schola post durißimam iactationem ad Portum aliquem aspirare incipiens ipsius operam uel maxime requirebat. Hoc quid significet cogitate, & sicut singuli ἐπίβαλλον μέρος conferendo iram Dei cumulastis, Ita omnes quisq; suo loco, in hoc incumbite, ut seria pœnitentia & ardentibus uotis pœnam, quam sumus promeriti, poßitis auertere. Te æterne Deus pater Domini nostri Iesu Christi supplices rogamus, ne scholam hanc deseras, sed in ira misericordiæ memor eius cymbam in tranquillo sistas, sane tristißima uulnera, quibus aliquandiu miserabiliter fuit lacerata, & efficias clementer, ut reipsa experiamur ueritatem dulcißime consolationis, quam Ieremias proponit inquiens, Non repellet in sempiternum Do-

minus, quia si abierit, miserebitur etiam secundum multitudinem miserationum suarum. Non enim animo perdendi nos humiliat, nec filios hominum penitus abijcit &c. Reprimas rabiem Diaboli, cui nihil maiori uoluptati foret, quàm si uideret hanc Academiam pio optimorum principum studio constitutam funditus euerti. Idq; facias propter gloriam sanctißimi nominis tui, ne eius propagatio ac celebratio in his locis diminuatur, Amen. Cum autem hodie hora secunda terræ mandaturi simus Stigelij corpus, hortamur scholasticos, quos certo scimus, ut grates discipulos optime merito præceptori, postremum sepulturæ officium ultro præstituros, ut in deductione funeris huiusmodi præces toto pectore nobiscum repetant & scholam ac salutem professorum, qui adhuc superstites sunt Deo commendent, Bene Valete. 13. die Februarij, Anno M. D. LXII.

CIIII

IN VRBE FRANCOFORDIA AD Menum pictura est uirginis contexentis sertum ex floribus, quibus Germanicum nomen est, Ie lenger ie lieber, & addita est inscriptio uenustißima sententiam grauißimam continens, alludens ad nomen herbæ.

Je lenger je lieber ich bin allein/
Deñ trew vnd warheit ist worden klein.

Monet

Monet uitari turbam & sodalicia, & proprio quenq; muneri seruire. Nomen herbæ nunc usitatū est Amarū dulce, Græcis ueteribus est Teucrion, aut certe cognatum quiddam est. Nos hoc nomen retinuimus propter Teucri historiam. De hac Francofordiana pictura hanc lege Stigelij Elegiam.

Capta domum rediens fortis post Pergama Teucer,
Non qualem optarat repperit esse patrem.
Nam, quia fratre redis, te non ultore, relicto,
Me quoq; te nato posse carere scias.
Quin age fraternas aut mox comitaberis umbras,
Aut cupies celeri rursus abire gradu.
Dixerat hæc genitor, gemit alto ex pectore Teucer,
Mox tamen ad socios talia uerba facit.
Offensus pater est, pater est qui peßima nato,
Qui tamen haud merui peßima, fata cupit.
Ergo uale nostræ nutrix Salamina iuuentæ,
Quam patrem offendam rectius exul oro.
Fata uiam ostendent, forti omnis patria tellus,
Sic ait, & medio uela dat alta freto.
Venerat ad ueteris Cythereia littora Cypri,
Vt placuit tellus, hic habitemus ait.
Condidit hic urbem patriæ de nomine dictam,
Qua tereret uitæ tædia longa suæ.
Temporis accessu præcordia frigida mœror
Rodit, & e salsa pectora bile dolent.
Forte parat sacrum, positisq; sub arbore Diuis
Per uirides herbas exta cremanda locat.

Mira loquor, splenem medijs ut tangit in extis
    Herba noua, arcana sed ratione potens.
Protinus attactum uideas tabescere, namq;
    Deficit, admota ceu rosa uerna manu.
Splene dolens Teucer, lateri mox adplicat herbam,
    Nec mora præsentem sentit, ut optat, opem.
Tum uero, quoniam prodes hac parte dolenti
    Teucrion à Teucro nomen habebis, ait.
Tempora quid faciunt? γλυκύπικρον nomine dicunt
    Nunc quibus hanc Graia uoce uocare libet.
Nomina ridebis, paulo post carius illam
    More suo, at pulchre Teutona lingua uocat.
Huc, quicunq; fuit, solers allusit Apelles,
    Hæc cuius picta est suauis imago manu.
Ecce procul turbam fugiens uirguncula, sola
    Dum sedet, ex ipsa Teucride serta facit.
Quod si consilij causam quis scire laboret,
    Hoc uitæ responsi symbolon esse potest.
Quo diuturna magis, mihi carior omnis Eremus,
    Exulat à uulgo cum probitate fides.
Qui sapis, hinc uitæ præcepta salubria disces,
    Certus in hoc uitæ, carmine gnomon erit.
Viue tibi, stolidæq; caue commercia turbæ
    Consultum uitæ si cupis esse tuæ.
Nil facias, fieri nisi quod debebat honeste,
    Sitq; tuæ uitæ regula certa Deus.
Nec famæ cupidum rebus te ingesseris ullis,
    Ni sinat officij causa probanda tui.

Con-

Congressus caueas, nisi cum tua functio poscit,
Illi autem placidi sint simul atq; breues.
Quos potes officijs orna, nec commoda specta,
Pro meritis reddi gratia rara solet.
Præcipue caueas ulli nimis esse sodalis,
Hic latet in uiridi frigidus anguis humo.
Non ego te iubeam cædam uitare minantes,
Quos tibi coniunctos spes erat esse, caue.
Dulce quidem certe est, & amici nobile nomen,
Sæpe sed huic etiam crimen inesse solet.
Limina præcipue fuge suspitiosa potentum,
Credo mihi hic fuco gratia rara caret.
Cautus ut euitat blandas Syrenas Vlysses,
Illecebris aulæ ne capiare caue.
Hæc uitæ ratio morbosis libera curis
Est homini inprimis commoda, grata Deo.
Hæc addit nostris cœlestes mentibus alas
Vt certa ascendant ad bona uera uia.

IOHANNES STIGELIVS.

CV.

ELEGIA IOANNIS STIGELII monens, ut pauperes onerati honestis laboribus, suam sortem boni consulant, etiamsi no accipiant iusta premia.

ὄνος ἐπίπονος.

Quondam Asinus rigido iussus seruire colono,
Indoluit sortis fata seuera suæ.

Exiguumq; cibum accusans, magnumq; laborem,
Sæpe alium cupide siccus hiabat herum.
Tunc quoq; ieiuno plenos cum uentre quasillos
Ferret, in hæc fertur uerba rogasse Iouem.
Iuppiter Arcadicis multum olim cognite syluis,
Arcadicum facili fer precor aure pecus.
Non ego nunc pellem fului mihi posce Leonis,
Sat premit hæc nostrum fabula trita genus.
Des alium dominum, dederis sic omnia, tantum
Seruicij durum deprecor huius onus.
Annuit, & figulo commendat Iuppiter illum,
Hæc quoq; sors illi non toleranda fuit.
Imposito sudat Samiæ sub pondere terræ,
Atterit hirsutum tegula dura latus.
Sæpe etiam lapsus diffractis uapulat ollis,
Iunctaq; cum multo uerbere probra tulit.
Ergo iterum ut dominum misero mutare liceret,
Multa facit summo uota molesta Ioui.
Accipit hunc, ueteres solitus deglubere pelles,
Impuro cerdo qui facit arte lucrum.
Dic dum sera graues, labor ipsa senecta, labores
Ingrato minime grata recusat hero.
Occidit immeritæ pecus ictum uerbere clauæ,
Fataq; detracta pelle suprema subit.
Hei mihi quám frustra fato obluctatur acerbo,
Qui meritis poscit præmia digna suis.
Sis asinus, quemcunq; asinum sors aspera fecit,
Qui placide sortem ferre scit, ille sapit.

M. D. LII.

AD CANDIDVM LECTOREM.

Habes, candide Lector, quæ hoc tempore in Bucolica Virgilij edere uolui. Adieci etiam Miscellanea, in quibus multa digna lectu & scitu recitantur. Vbi autem intellexero tibi ista omnia, qualiacunq; sunt, grata esse, dabo operam, ut breui temporis spacio tres Tomi annotationum in omnes Comædias Terentij, quales in Epistolas Familiares Ciceronis mea opera æditos habes, subsequantur, Bene Vale.

LEVCOPETRAE EXCVDEBAT, Georgius Hantzsch, Anno M. D. L X V.

ERRATA QVAE INTER relegendum occurrerunt.

B 4. de aliqua re utili, omisso altero, de. B8. sumpta ab ominibus, non omnibus. C. 2. Recreentur, non recreantur. C. 4. Indigno non, indigne. C. 6. sit rustica, non fit. C. 6. Reijce non reice. C8. separatum, non, seperatum. D. 1. Baccare, non bacare. D. 2. Augustum, nõ, Agustũ. Bene, non bæne. D. 7. totius Eclogæ, non Ecloga. E. 4. Necessaria, non, necessario. E. 8. ut si de contentione Longolij & Erasmi dicas, iure Erasmum anteponere poßis, Omißis illis uerbis, Iure anteponere Erasmi dicas. F. 3. Cuius hæc est summa. Conatur, non, coatur. F. 4. decepti. Posterior ueneficia. F. 5. habeant fatales, omisso puncto. Disciplinæ, non, discipline. G. 1. Cytheridis, non Cythretidis. G. 2. Poetæ Asinij, omisso puncto. G. 4. Tanque fratrem Cremonensium, omisso puncto. Varo, non, Vro. Cantando sub, non, cantandi sunt. G. 6. Nullam aliam causam huius moeroris, Laborabũt, non, laborarunt. G. 7. Putemus, non, putamus. G. 8. Diriperet, non, deriperet. Iuuenem Octauium, omisso puncto. uota, non Vota, cum magno, Vi ubi assueueris, omisso, uel. H. ii. Deferbuerint, non, deferbuerunt. possint, non, possunt. H. 4. æquari, non æquori. formatione, non, furmatione. H. 6. Quæ uis dicere, non, siue uis. H. 7. Nullis uerbis consequi possum. Auspicato, non, auspicari. I. 1. Nam & meum pecus. Nascamur. Inscripta. Inter uos. I. 2. Deos & clarorum, omisso, præ. Extuleritis, non, extuleris. Quisquis aut potest, non, autem. Effers, non, offers. I. 3. scribite munera, non muc-

cera.

I.4. *sed sinit te,non sint.* Tamen *illo, non ille.*I. 5. *de-
mentatus,non,demeritatus.principum, non,principi-
um.* De *tot,tanque.*Decent, *non docent.* I.6. *Annonæ,
non amenæ.* ἔσσι *non* ἔδι.I.7. *Apollinem,non, Apol-
linem.saliuncæ,non,salinuce.*I.8. Tigres,*non,*Tigros,
K.1 *In quibus æreis,non,æris.prosequebantur.*K.4.*ue-
stigia inueniat.Crinem,non,crimen. crimen, non, cri-
mem.*K.5.*cædebat* Phæbo, *non, credebat.*K.6. *acqui-
esco.*K.7.*Cui ille præfuit.*K.8.*mouerint.*L.1.*perscri-
bantur,non,perscribentur.* L.2. *maximo, meo incom-
modo.*L.3.*Incantari,non, incantatri.* Quoq; *indura-
ri,non, iudicari.* L.4.*superfuerunt.* L. 5. *interficeret,
non,interficent.*L.6.*Qui habent.*L.8. ῥητορεύειν. M.
1.*enimuero,syluas, non, sylas. suspicionem,non,suspi-
cationem.sensero,non,sensere.*M.2.*perseuerasset, non,
peruenisset.* M.3.*decoro. quas,non,quos.*Hos,*non,hoc.*
M.4. Theocritus,*non,*Theocritin. M.5. λόγου, λο-
γου. M.6.*obseruatione,non,obseruatinne.* γλύκιον,
non, γλύκιος. ἀπόπροθι,*non,* ἀπόπροδι. ἀλλοδα-
πῆ,*omissa est iota.*M.7. ὀνκοῖμεν,*altero,* εν,*omisso.*
M.8. χάριτας,*non,* χάρ τις. *ut uobis homines, non,
& uobis. securitatis, non, securiatis.* N. 2. ἀενάων.
καλλιρόοον. πόσσι ῥέεθρα. περισσῶς. N.3. *deducta,
non, deducto.*N.5. οὐ μὲν, *non* ἰὸ μὲν.N.6. *subindi-
cat, non, & subindicans.fallere, non,fallera.*N7. με-
λισσα. ἔφυσση. ἅλατο. μελισσα. μάτηρ. ἐσσὶ
μελίσσαις. O. 1.*Persa,non,* Pensa. O. 2. *fecere,non,
mouere.*

mouere. O.4. Danaes, non, Danaei. fraudulentos, non, fraudulentes. O.5. contineat, non, continent. O.8. Quintilium, non, Quintilianum. P.2. Ita in discendo praecipuas. P.5. demandata est, non, demendata. Q.1. prosopographia, non, prosographia. Constat, non, conflat. Quidam paterfamilias. Q.3. λυγρα, non λυ̃γρα. Q.5. ἐλπίσσας, non, ἀλκίδας. R.5. Ea uero, ut in senibus uitiosa est, ita uel imprimis in pueris &c. lege R.7. dictum uolumus S.1. de recto, omisso, re. S.2. Metsch. Schurpff. S.5. τοῦ σώματος. T.1. Nullius enim oratio, non, ratio. ut obtemperetis. Regum, non, regnum. T.2. professionibus. Domum, non, donum. occuparat. T.3. iudicassent, non, indicassent. T.4. dimittitur, non, demittitur. T.5. temporis, non, tempois. T.6. prosopopeia, non, prosopeia. Miltiades. T.7. perscripsi, non, praescripsi. T.8. scientiam de tota natura, omisso, ac. Et quia, non, Et qua. V.2. diligentia, non, diligantia. Inicio, non incio. V.3. cum nondum, non, nodum. V.7. uehit Albis, non, uelit. X.1. re manifestata. promisit se, nō permisit. X.2. Cū res agitari coeperint. X.3. ac melius. Inuitis, non, in uicis. X.4. ποδὶ ζευγους. X.5. χάλκαντι. δύναται. X.6. ἔχθρον. in Theriacis. ἔιθεν, nō, ἔνοθεν. κατὰ βρόξειεν. πατήρ τε. μητιόεντα. X.6. á genis. Hic omissa sunt haec uerba, Neq; si illi mortua esset materq; paterq;, Neq; si coram ipso etc. X.7. posterioribus. X.8. saguineas, non, sangineas. Y.2. solet esse difficilium, non, difficillimum. Y.3. exemptus

ERRATA.

ptus est.hodie præstetis. Y.4.domantur,nõ,donantur. Initur,non,imitur. Y.7.uetustißimo,non, uetutißimo. Y.8. aliquantulum. ἀντίδωρον. Elegantißimo. Z.1. nisi uererer. Z.3.absolutis,non,obsolutis. Z.4. Inescati. Instituemus,non,instiuemus. Z.5.pertinet,non, pirtinet. offerant,non afferant. Z.7. conuenire, non detrectare. Z.8.ingeniorum. a.3.immortalitas,non immortalitatis. a4. ἀναρχία, non ἀνάρκια. dederunt, non,dederant.sed Brutus, non breuis.a.5. iudicandam, non,iudicandum. Astrologicis, non, astroligicis. periculosas,non,osos.extat, non extant. planetarum, non: orum.a.7.in mortuis, non mortis. Astringerent, non adstringent.b.1.á suffragatione omnes.b3. choreæ non habent Contra,non,conara.b.6.nõ procul á mola.b.7. Quæ ipse lautißime.b.8.obbrutescant etiam.uidemus. c.1.accedunt,non acedunu. Quis enim non credat.c.2. tum demum res docuit.uocat,non uacat.molitorem,nõ meliorem: Ecquid ad Theologiam.c.5.ærumnosa, non oso.c.8.libarunt,non bibarunt.





O

Argum. .7. Ægloga

Perstringunt Momum certantes carmine vates
Alternisque notant falsa notanda modis.
Nil iuvat ingenium si livor turpiter obstet.
Hoc est et doctis coplurisque viris.

